



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Institutio Vitæ Ad Exemplar Passionis Domini Et Salvatoris Nostri**

**Sgambata, Scipio**

**Dillingæ, 1686**


[urn:nbn:de:hbz:466:1-53753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53753)





Th. 3176.


J. VI

16.









*Inspice, et fac secundum Exemplar,  
Quod tibi in monte monstratum est. Exodi. 25. v. 40.*

INSTITUTIO VITÆ  
AD EXEMPLAR  
PASSIONIS  
DOMINI

ET

SALVATORIS NOSTRI

AUCTORE

R.P. SCIPIONE SGAMBATA,

Societatis JESU Theologo,

IN TRES PARTES DIVISA

ET

Ad excitandam in pluribus Dominicæ Passionis  
memoriam, morēsque omnium ad Exemplar Vitæ  
Christi componendos in lucem denuo  
edita.

*Cum facultate Superiorum.*



DILINGÆ,

*Typis & Sumpt. JOAN. CASPARI BENGARD,*  
Bibliopolæ Academici.

*Per JOANNEM FEDERLE.*

*Anno M. DC. LXXXVI.*

*Colleg. Societ. JESU Paderborna.*



INSTITUTIONE

NO. 12

PASSIONIS

DOMINI

EXPOSITIO

AUCTORIS

RESCIPIONE SCALAPATA

Societas Jesu

IN TERRA SACRATAE CIVITATIS

16

Ad executionem in quibusdam Rebus Publicis

quibusdam in quibusdam Rebus Publicis

Car. Scapata



PITINUS

Typ. Scapatae, Car. Scapatae, Pitinus

Rebus Publicis

Rebus Publicis

Rebus Publicis

Rebus Publicis



J E S U  
C H R I S T O  
C R U C I F I X O .

**P**lena libris sunt omnia:  
alij identidem aliique  
in lucem prodeunt.  
Nec tamen Mundus se  
ipso fit doctior: antiquis jacet er-  
rorum in tenebris. Scilicet tot in-  
ter libros unus non legitur, qui  
amoris exaratus stylo, tot literis,  
quot plagis, patet omnium ocu-  
lis Calvariæ in clivo expansus.  
Causantur multi peregrini idio-  
matis tot hieroglyphica, quot  
voces: non intelligunt, quod  
moribus piget exprimere. Do-

) ( 2

let

let mihi, negligi librum, qui  
solus est omnis sapientiæ bre-  
viarium. Interpretem offero, uti-  
nam tam gratum, quàm fidum!  
Hæc certè, mi JESU! votorum  
meorum est summa, ut Te Cru-  
cifixum omnes nôrint, omnes  
imitentur. Hæc caussa fuit, cur  
libellum hunc meis typis excude-  
rem, Tuo Nomini dedicarem.  
O! hunc si legant multi, ut le-  
gantur in libro, quem Sanguine  
Tuo scripsisti! Quos inter si me-  
um quoque nomen inseris, ô  
JESU! erit hæc operæ tantillæ  
merces magna nimis, sed optata  
nimis æternùm Tuo

Joanni Casparo Bencard  
Bibliopolæ.

P R Æ F A T I O  
A D L E C T O R E M.

**P**erfectissimam Sapiëntiã Chri-  
stianã doctrinã frustra alibi  
quæres, Benevole Lector, nisi  
in PASSIONE DOMINI. Sapiëntissi-  
mè creavit DEUS Orbem hunc, quem  
non minùs sapiënter reparavit. Passus *Matt.*  
est: crucifixus est! Qui potest capere ca- 19.  
piat. Mortuus & sepultus est! Non *Luc. 23.*  
omnes capiunt verbum hoc. Illusit eum  
Herodes indutum veste alba: quid sa-  
piëntius? Æterna sapiëntia se fatuam *Matt.*  
fecit! intellexistis hæc omnia? quis ve- 13.  
strum respondebit? etiam. Chlamidem *Matt.*  
coccineam circumdederunt ei, & genu 27.  
flexo ante eum illudebant ei, & plecten-  
tes coronam de spinis posuerunt super  
caput ejus & arundinem in dextera ejus.  
Quis cognovit hunc sensum Domini, *Rom. 11.*  
aut quis consiliarius ejus fuit? Ut doce-  
ret ita te sapere, ut pro desipiente ali-  
quando habearis; hoc enim verè est sa-  
pere, id est, non plus quàm oportet, sed  
sapere ad sobrietatem. Sapiëntiam *Rom. 12.*  
mundi ut confunderet Divina, illudi  
sibi voluit à mundana; nunc albã, nunc

## PRÆFATIO.

*coccinea veste induitur, nunc nuda pro-*  
*stituitur. Disce sapiens insipientiam*  
*pati, & agnosce, te non satis sapuisse,*  
*nisi insipientiam pati scias, vel ab alijs*  
*discas patienter haberi insipiens. Docet*  
*desipere Passio Domini, sed sapit, qui dis-*  
*cit ex INSTITUTIONE VITÆ AD*  
*EXEMPLAR PASSIONIS Christi*  
*sapienter vivere. Vale sapientissime*  
*Lector, & ad hanc caelestem Regulam*  
*mores vitamque tuam institue.*

*Sit tibi pro Christo quævis afflictio chara,*  
*Dulcia non meruit, qui non gustavit amara.*



# INDEX CAPITVM.

## LIBER I.

CAPUT I. Passionem Domini esse unicum exemplar, ad quod vitam omnem conformare oporteat. 5.

CAP. II. Semel statuendum esse, cum Christo Vivere & Mori. 12.

CAP. III. Voluntatem nostram, quæ bonum quærit, nusquam illud inventuram, nisi in Passione Domini. 20.

CAP. IV. Voluntatem nostram, quæ malum fugit, nusquam alibi tutum per fugium, quàm in Passione Salvatoris habituram. 33.

CAP. V. Intellectum nostrum nullibi posse conquiescere, nisi in Domini Passione meditanda. 42.

CAP. VI. Initium vitæ bene instituendæ esse, proponere sibi congruentem ac Deo gratum finem, & media ad id apta, & probata. 52.

CAP. VII. Vitæ bene institutæ Dæmonum & hominum infestationes omnes profuturas. 60.

CAP. VIII. Institutum bonæ vitæ magnò animò esse capeffendum. 71

CAP. IX.

## INDEX CAPITUM.

- CAP. IX. A perfecta purgatione peccatorum  
per Confessionem initium esse facien-  
dum. 79.
- CAP. X. Evcharistiam nobis à Domino relictã  
esse, hujus vitæ ad Passionis exemplar in-  
stituendæ monumentum & robur. 90.
- CAP. XI. Purganda esse vitia sermonis nostri,  
ad ejus exemplar, quem Dominus post  
cænam habuit. 99.

## LIBER. II.

- CAP. I. Animi perturbationes sedandas esse ad  
Dominicæ Passionis exemplar. 111.
- CAP. II. Studium & modum orandi ex Chri-  
sto Domino Patrem orante esse discen-  
dum. 119.
- CAP. III. Fructus Christianarum Virtutum ex  
Horto Gethsemani esse carpandos. 127.
- CAP. IV. Moralium Virtutum fructus esse ex  
eodem horto legendos. 137.
- CAP. V. Theologicarum Virtutum quoque  
Fructus ex eodem horto decerpi. 149.
- CAP. VI. Profitendum nobis esse palàm, nos  
Christianam Perfectionem sectari. 161.
- CAP. VII. Prudentiam Mundi hujus, & vitæ  
spirituali, & sibi ipsi perniciosam, esse vi-  
tandam. 171.

CAP. VIII.

## INDEX CAPITUM.

- CAP. VIII. Fortiter, Cantè, & Humiliter in omnibus negotijs esse agendum. 179.
- CAP. IX. In bonis utilibus conquirendis conservandisque, maximè cautionem esse adhibendam. 190.
- CAP. X. In bonis jucundis vel arcendis vel moderandis fortitudinem exercendâ. 200.
- CAP. XI. In bonis honorificis humilitati studendum. 209.

## LIBER III.

- CAP. I. Exeundum esse de mundo, & portandum improperium crucis. 223.
- CAP. II. Primam Beatitudinem Perfectorum esse Paupertatem Spiritûs. 233.
- CAP. III. Secundam Beatitudinem esse lenitatem & mansuetudinem, maximè cum inimicis. 243.
- CAP. IV. Tertiam Beatitudinem esse luctum assiduum ob nostra & aliena peccata. 250.
- CAP. V. Quartam Beatitudinem esse sitim & famem propriæ alienæque justitiæ. 262.
- CAP. VI. Quintam Beatitudinem esse Caritatis ac Misericordiæ in omnes sollicitam exhibitionem. 274.
- CAP. VII.
- CAP. VIII.

CAP. VIII.



*INDEX CAPITUM.*

- CAP. VII.** Sextam Beatitudinem esse Munditiam cordis Innocentiâ & Simplicitate constantem. 282.
- CAP. VIII.** Septimam Beatitudinem esse, perfectam Pacificationem. 291.
- CAP. IX.** Octavam Beatitudinem, esse constanter Deo adhærere in adversitatibus & persecutionibus. 298.
- CAP. X.** Beatos esse, qui in Domino moriuntur. 309.
- CAP. XI.** Conservanda esse verba hæc in Domini monumento, in quo & animam nostram Domino consepeliri oportet. 318.





INSTITUTIO  
VITÆ AD  
EXEMPLAR

PASSIONIS DOMINI  
& Salvatoris Nostri

LIBER I.

**I**nspice, & fac secundum exem- Exod.  
plar, quod tibi in monte mon- 35.v.40.  
stratum est. Duo sunt, quæ cu-  
pientibus vitam rectè instituere, necessa-  
riò præstanda sunt, quæ duabus illis vo-  
cibus indicantur: *Inspice, & Fac.* Inten-  
ta nimirum contemplatio Passionis Do-  
mini, ejusque sollicita, & strenua imita-  
tio. Exemplar enim omnibus propositum  
est; ante quorum oculos Christus JESUS Gal. 3:  
prescriptus est in nobis crucifixus. Sed v. 1.  
ideo in monte positum dicitur, quia, ut  
id contemplemur, exeundum domo, ex-  
cedendum est urbe, populi frequentia,

A tur

2 DE PASSIONE DOMINI.

turbis negotiorum ac sollicitudinum, & attollendus oculorum obtutus à planis & humilibus cogitationibus, ad arduas & sublimes. Quoniam verò non omnium est, Passionem Domini ita inspicere, ut in ea vitæ præcepta distinguant, idque alius alio acutiùs & perspicaciùs facit, quo divina lux alium alio clariùs illustrat; ideo, quod inspicere Dei beneficio mei oculi hebetes languidique potuerunt, censui breviter adnotandū: facient idem meliùs, qui distinctiùs, & clariùs vident. Et quia triplex est Vitæ Spiritualis gradus, Incipientium, Proficientium, Perfectorum, quas etiam Vias tres vocamus, Purgativam, Illuminativam, Vnitivam; divinum hoc exemplar in tres partes cogimur distribuere, quæ singulis vitæ Spiritualis partibus ordine respondebunt. Prima erit ab exordio vsque ad hortum, quæ Incipientium vitam informabit, & Viam Purgativam. Secunda ab orto ad Tribunal Pilati, & condemnationem Domini, quæ Vitam Proficientium erudiet, ac Viam Illuminativam. Tertia inde ad finem, quæ Vitam Perfectorum instituet, ac Vi-

am

am Vnitivam. Erunt autem singularum  
 patrium præcepta undecim, totidem fide-  
 lium Apostolorum numero respondentia,  
 ut simul ex omnibus mysticus fiat nume-  
 rus Trigintatium, qui Virum perfectum  
 indicat, *in mensuram ætatis plenitudi-*  
*nis Christi.* Vitæ Incipientium ad Viæ *Ephes.*  
 Purgativæ præcepta sunt hæc: *4.v.16.*

## I.

Passionem Domini esse vnicum exemplar,  
 ad quod vitam omnem conformare o-  
 porteat.

## II.

Statuendum semel esse, cum Christo vivere  
 & mori.

## III.

Voluntatem nostram, quæ bonum quærit,  
 nusquam illud inventuram, nisi in Pas-  
 sione Domini.

## IV.

Voluntatem nostram, quæ malum fugit,  
 nusquam alibi tutum per fugium, quam  
 in Passione Salvatoris habituram.

## V.

Intellectum nostrum nullibi posse con-  
 quiescere, nisi in Domini Passione me-  
 ditanda.

## A 2

## VI.

4 DE PASSIONE DOMINI.

VI.

Initium Vitæ bene instituendæ esse, proponere sibi congruentem & Deo gratum finem, & media apta ac probata.

VII.

Vitæ bene institutæ Dæmonum & hominum insectationes omnes profuturas.

VIII.

Institutum bonæ vitæ magno animo esse capessendum.

IX.

A perfecta purgatione peccatorum per confessionem initium esse faciendum.

X.

Eucharistiam nobis à Domino relictam esse, hujus vitæ ad Passionis exemplar instituendæ monumentum & robur.

XI.

Purganda esse vitia sermonis nostri ad ejus exemplar, quem Dominus post cœnam habuit.



## CAPVT I.

*Passionem Domini esse unicum  
exemplar, ad quod vitam omnem  
conformare oporteat.*

**C**hristus passus est pro nobis, vobis re- 1 Pet. 2.  
alinquens exemplum, ut sequamini v. 21.  
*vestigia eius.* Verba sunt hæc B. Petri,  
 quibus monemur, Christi Domini Passio-  
 nem ante oculos nostros velut exemplar,  
 ad quod vita nostra sit conformanda, pro-  
 ponere. Etsi enim cuncta Domini vesti-  
 gia sequi nos oporteat, tamen illa præfer-  
 tim à nobis sunt & observanda diligentius,  
 & sectanda devotius, quibus à cœna  
 ad crucem, à mystica & incruenta obla-  
 tione, ad sensibilem, & cruentam immo-  
 lationem unius diei spatiò progressus est.  
 Quæ dies inter angores & ærumnas, in-  
 ter dolores & cruciatus transacta, optimè  
 brevem hanc vitæ nostræ, quæ inter simi-  
 les calamitates transigitur, ærumnosam &  
 luctuosam diem designat. Nam quemad-  
 modum Christus Dominus à lavacro, quo  
 discipulorum suorum pedes abluit, per  
 varia locorum, actionumque discrimina

6 DE PASSIONE DOMINI.

tetendit ad mortem: ita nos à lavacro baptismatis per diversas occupationes distractionesque, & varios casus ad mortem gradimur, & modò in coenaculis, modò in hortis, modò in consilijs, modò in regijs, modò in pratorijs, modò in urbe, modò in mōtibus sum⁹. Semper tamē quocumq; eamus, angores, calamitates, molestiæ nos sequuntur, nec usquā desunt nobis caro insidiatrix, diabolus insectator, mundus illusor. Eadem enim nostra peccata, quæ Christo Domino tam acerbos attulere cruciatus, plurimorum nobis quotidie causa sunt malorum, quæ, nisi divinâ misericordiâ protegamur, exterius, interiùsque nos cruciant. Cùm igitur Passioni Dominicæ sit necessariò vita nostra tam similis, necesse est, ad eam semper intentos oculos velut ad exemplar habeamus, ut, quemadmodum Christi Domini Passio omnia sua mala ex vitæ nostræ desumpsit erratis, ita contra vitæ nostræ bona omnia ex illius imitatione desumat. In hoc enim Dominus passus est, ut nos vitam hanc pati doceret, & quemadmodum ipse illo die inter extremas calamitates nihil ex beata illa animi sui

sui tranquillitate ac felicitate deperdidit, ita nos doceret, inter has tot tantâsque vitæ hujus ærumnas, & miserias esse felices. Sequamur ergo vestigia ejus, non solum ut per Passionem ejus & crucem ad resurrectionis gloriam perducamur, sed ut in ipsa hujus vitæ Passione simus beatè tristes, & feliciter ærumnosi, & in quibuscumque casibus mortalitatis humanæ *communiantes Christi Passionibus gaudeamus*. Olim dicebatur Abrahamo: *Ambula coram me, & esto perfectus*. Arduum sanè mandatum; Deum enim in viarum suarum perfectione gradientem, nec longè sequi facile est, ipsique cœlestium spirituum ordines, infinita intercapedine ab eo distantes, alis desiderij semper intentis eum assequi nituntur, nec tamen unquam comprehendunt. Ipsa sex alis prædita Seraphim, tarditatem suam agnoscencia, vultum ac pedes modestè ac verecundè tegunt, ut in ipsis quoque verè illud usurpes: *incurvati sunt colles mundi ab itineribus eternitatis ejus*. Quo pacto igitur non arduum ac difficile esset homini corpus infirmum, & grave circumfe-

1. Pet.  
4. v. 13.  
Gen. 17.  
v. 1.

Hab. 3.  
v. 6.



8 DE PASSIONE DOMINI,

renti, Deum non modò sequi, sed præire, hoc est, quem nunquam vidisset, imitari, & vitæ suæ gressibus divinæ perfectionis exempla prævertere. Atqui hoc præcipi videbatur Abrahamo: *Ambula coram me,*

*Exod.*  
33. v. 15.

*& esto perfectus.* Itaque & Moses Deum contestatus est, nisi ipse Dux esset, numquam alio duce homines per hujus vitæ deserta invia, & inaquosa rectè viam instituturos, & David velut jure sibi videbatur exposcere, ut, cujus rei mandatum dedisset, ejus præberet exemplum. ita demum fore, ut homines eum non modò sequerentur, sed circumfluerent. *Exurge Domine*

*Psalms.*  
5. v. 3.

*Deus in præcepto, quod mandâsti, & Synagoga populorum circumdabit te.* Factum tandem est, quod petebant, & pondere nostræ mortalitatis assumpto, cruce etiam ac toto miseriarum nostrarû onere suscepto, Deus ipse nos præire cœpit, ac dicere, *Venite post me.* Non ergo nobis arduum illud & grave proponitur: *Ambula coram Deo:* sed illud facile, & inter Ethnicos quoque vulgatum: *Sequere Deum,* ac Deum hominem, non per sublimia majestatis

*Math.*  
4. v. 19.

tis

tis suæ, sed per infirmitatis ac miseræ  
 tuæ ima & depressa gradientem. *Siquis Matth.*  
*vult venire post me, inquit, tollat cru-* 16. v.  
*cem suam & sequatur me.* Quis adeò seg- 24.  
 nis, adeò restitans, & fugax, quin ad  
 Christum Dominum, toto vitæ itinere se-  
 ctandum, excitetur, & alliciatur hac voce?  
 Qui vult, inquit, non cogo, non impero,  
 vos videritis, quid vestræ salutis, ac felici-  
 tatis intersit. Qui vult venire post me,  
 qui una sum via, quâ itur ad vitam, Tollat  
 crucem suam, & sequatur me. Si ego u-  
 nus omnium crucem fero, æquum est, ut  
 quisque vestrum suam, quam sibi ipse fe-  
 cit, quam & mihi imposuit, quam reji-  
 cere, etiamsi velit, non potest, ferre ne  
 gravetur. Hoc ergo nobis initio vitæ  
 instituendæ sit propositum: Christiani  
 sumus, si Christum Ducem vitæ, ac Ma-  
 gistrum nobis à Deo datum credimus, non  
 aliter nobis esse vivendum, quàm ipsius  
 exempla nos doceant: nec alia magis ejus  
 exempla veneranda esse, & sollicitè con-  
 sectanda, quàm quæ, ut firmiùs hærent,  
 memoriæ posterorum, voluit esse postre-  
 ma. Difficile homini futurum erat, totam

Domini vitam mente retinere, sibi que proponere semper imitandam: licet huic oblivioni humanæ consulturus Dominus, cum posset inter nos diuturnam vitam agere, maluerit juvenis mori, & ex tribus ac triginta, quos vixit in terris, annis tantum tres publicè agere, quo scilicet cupientibus ejus omnem vitam præ oculis semper habere, difficile non esset, triennij gesta meminisse, præsertim quod, ut B. Joannes ait, ex innumeris vix pauca Evangelistæ conscripserunt. Sed homo Hebraica voce *Enos* dicitur, quod obliviosum sonat; est enim cum omnium bonorum facilè immemor, tum maxime eorum, quæ præsentissima ei sunt, maximeque necessaria, Sui, ac Dei. Ne igitur queri posset, longiorem esse Salvatoris Historiam, quàm ut ejus ubique memor esse posset, contracta est in unam diem. Si omnia tenere non potes, at unius diei memor esse, unam diem velut ante oculos uno obtutu spectandam tibi proponere poteris. Qui tragædiarum præcepta olim tradidère, hoc inter cætera observandum censuerunt,

*Psal.* 8.  
*v. 5.*

fuerunt, ne actio, quæ in theatro, exhibe-  
 retur, esset unius diei duratione prolixior,  
 sed una solis periodo clauderetur, quòd ita  
 levius auditori futurum esset, exempli illi-  
 us, reique gestæ memoriam ad suæ vitæ  
 informationem animo conceptam, perpe-  
 tuò servare. Divina hæc tragædia, quæ  
 sub Christi Domini, tot aspera & acerba  
 patientis, personâ vitæ humanæ specimen  
 nobis ob oculos ponit, unius diei ambitu  
 concluditur. Omnino indignum, intole-  
 rabile est, tanto spectaculo, tamque nobis  
 necessario nolle nos diligenter intendere,  
 cum & nostra res in eo tot modis agatur,  
 & fabula non sit, sed nostrorum malo-  
 rum, quæ à Christo luuntur, nostræ vitæ,  
 quæ à Christo expiatur, instruitur, emen-  
 datur, historia. Semper igitur erecti  
 & vigiles in illud theatrum, in illam diei  
 unius actionem animò pendeamus, à qua  
 salus pependit omnium sæculorum. *Hæc Ps. 117*  
*est dies, quam fecit Dominus, ut ei condo-*  
*leamus, & compatiamur in ea. Dies verè*  
*solennis in condensis montis Olivarum*  
*vsque ad cornu altaris, id est, Crucis. Dies Isa. 49.*  
*Salutis, à qua die lucem solémque omnis*  
 vita

vita

vita hominum trahere debeat, quæ una dies plus nobis profuit ad exemplum, quàm omnium veterum Sanctorum sæcula, omnes, quæ evolutæ sunt, aut evolventur, ætates.

## CAPVT II.

*Semel statuendum esse, cum Christo Vivere, & Mori.*

*Ioann.* **E** *Amus & nos, & moriamur cum eo.*  
*II. v. 16.* Hæc una debet esse vox nostrum

omnium, Christi Domini Passionem contemplantium. In qua voce cum & nostræ salutis, & vitæ spiritualis initium, ac fundamentum sit positum, necesse est primum statuere, quid sit cum Christo vivere, & mori, deinde, quàm id sit Utile, Honestum, Delectabile, quo ad id strenuè suscipiendum adducamur, ostendere. Vivere, & Mori cum Christo dicemus eos, qui non modò in ijs, quæ præcepta sunt, Christum non relinquunt, sed nulla penitus in re velint aliter vitæ suæ cursum instituire, quàm ut Christus instituit, & ut

*1. Ioan.* verbis Apostoli Ioannis utamur, *sicut ipse*  
*2. v. 6.* *ambu-*

ambulavit, & ipsi velint ambulare, nec ad dexteram deflectere, nec ad sinistram, vestigia vestigijs premere, & hoc facere, quod ab ipso factum intellexerint. Est etiam in vulgari hominum amicitia & societate mos hic, ut quidam se mutuò obstringant, ut unà vivere, & mori velint, nec alter ab alterius unquā sententia & familiaritate discedere: si tu diem atrum, noctem lucidam dixeris, ego idem affirmabo, si in ignem te immiseris, sequar, si alis sumptis in sublime te extuleris, ego quoque ales fiam. Sic illi solent suas inter se sodalitates & amicitias contrahere. Ita, qui cum Christo vivere & mori statuit, ille, quod Christus vile, abjectum & noxium judicavit, id semper ex animo contemnet ac fugiet, quod contrā magni aestimavit, quod elegit ac secutus est, id semper magni aestimabit, eliget ac sequetur, ac tum se beatiorē putabit, cū similiorem Christo Domino viderit; tum miseriores, cū ab ejus exemplis vestigijsque se agnoverit longius recessisse. Hoc est cum Christo vivere & mori. Jam verò, quàm id utile homini sit, nemo non

non

## 14 DE PASSIONE DOMINI.

non videt, cum in eo docuerimus vitam perfectionem esse positam. Sed quia nonnulli sunt, quibus pudor non est, ultro affirmare, nolle se esse perfectos, ostendendum est, eos de salute sua periclitari, qui nolint Christum Dominum intentè sequi, ejusque vestigijs inhærere. Nam cum Salutis, ac Vitæ arcta sit semita, paucique eam, ut ipse ait Salvator, inveniant, qui vagari volunt, & contemptis certis exploratisque vestigijs hinc inde pro arbitrio, ac libertate deflectere, ij, facile omninò aberrant, nec amplius viam, in quam redeant, vident. Itaque in re tanti momenti, in qua salus æterna agitur, velle nugari, & nescio cujus insanæ licentiæ dulcedine, certum iter ac rectum deserere, quid aliud est, quàm in æterni exitij periculû se præcipitem dare? Præterea negligenda non est ea quoque consideratio, eos, qui languida & vulgaria sequi volunt virtutis exempla & quibusdam popularibus, ut ita dicam, præceptionibus vitam informare, cujusmodi sunt, qui se dicunt nolle esse perfectos, & satis sibi esse, si servant divina mandata: eos, inquam, irritam Domini  
beni-

benignitatem, supervacaneum & inutile beneficium reddere. Nam ut homines docerentur non esse blasphemii, non parricidæ, non adulteri, non raptores, ad id minimè necesse erat, è cœlo Deum ad hæc ima descendere, & se hominibus præbere visendum. Satis enim Religionem docebat Abrahamus, Observantiam in parentes Isaacus, Castimoniam Iosephus, alieni abstinentiam Elias. Vulgaris hæc probitas, quam Christianorum plerique sectantur, & quâ volunt esse contenti (grave dictu) etiam apud Ethnicos invenitur. Quorsum igitur Christus è cœlo venerit? Quorsum tam præclara ediderit perfectæ sanctitatis exempla? Quorsum docendo, ferendo, agendo præluxerit? si tam facile nobis licet ejus, nomen & cultum professis, alterius institutis vivere? Non te pudet, Christianus cum dici velis, & esse, non idem de divitijs sentire, quod Christus senserit, & quas ille spinas vocavit, tu rosas putes? Non confunderis, cum te Christi membrum esse dicis, à capitis tui sententia dissidere? & cum ille decreverit, beatos esse Pauperes, Mites, Lugentes, tu contra

contra



16    **DE PASSIONE DOMINI.**

contra beatitudinem colloces in Opibus,  
 Potentia, Voluptate? Quale monstrum  
 est, in quo aliter manus, aut pes audet de  
 rebus judicare, quàm caput? Nonne capi-  
 tis sui sensu ac mente membra omnia  
 sentiunt, ac decernunt? Cur ergo tu, cum  
 Christi membrum esse velis, aliter de hujus  
 vitæ rebus audes existimare, ac censere,  
 quàm Christus censeat? Jam verò, quàm  
 sit honestum, Vivere & Mori cum Chri-  
 sto, necesse non est, pluribus demonstrare.  
 Nemo enim ex ijs, qui aliter vivunt, non  
 facilè hoc sublimius esse fatetur, ac digni-  
 us, seque socordix, & negligentix dam-  
 nat, quòd, quæ potiora esse non dubitat,  
 recuset imitari. Video, inquit, meliora,  
 probòque, deteriora sequor. Sed quæ de-  
 mentia est, dignum se hujus imitationis  
 gloriâ non putare? quod dedecus & pro-  
 brum, hujus decoris, & laudis participa-  
 tione se spontè fraudare? Præsertim quòd  
 ij, qui ita loquuntur, non omnes ex igna-  
 va & vili face sunt, sed plerique è nobi-  
 litate selecta, è flore militiæ, è primis sa-  
 pientiæ vitæque civilis capitibus, quibus  
 omnibus persuasum est, nihil esse gloriæ  
 præ

præferendum, nullamque aut voluptatem, aut rerum copiam præ unius laudis studio habendam. Cur igitur, qui sic de honestate sentiunt, tam ignavè Christum sequi recusant? quod ut factu arduum, ita præ omnibus, quæ homines præstare possint, honorificum, gloriosum negare non possumus. An, si quis Regis sui vexillum secutus, in obvios hostes impavidus ruat, magni æstimandus est, si quis Christum, & Regem, & Deum, & omnia, pari alacritate sequatur, non est id quoque ei magnæ laudi dandum? Aut cur non æquè huius atque illius laudis ambitione ducuntur? Siquid animi, siquid roboris est ad ardua capeffenda, ad dura superanda, hæc ostendite. Deus vocat: Sequimini me, inquit, Officium ac fides in baptismo obstricta nos cogunt, Regem ac Ducem sequi. Præmium allicit, ut regnum cælorum inter primos ingrediamur, ne tumultu irruentium & prohibentium excludamur. Metus compellit, ne desertus à nobis iure nos deserat, & quicum vivere, ac mori noluimus, cum eo ne mortui quidem reperiamur. *Eamus & nos, & moriamur*

B

cum

*cum eo.* Una obstat res, una rem tantam turbat & præpedit difficultas. Injucundum est, sequi Christum, & hunc crucifixum. Insuavis est vita, quæ sub Crucis vexillo ducitur. At ego putabam, me cum viris loqui, apud quos pluris esset decus, & gloria fidei servatæ Duci suo, quàm levis & momentanea voluptas. Sed si voluptate ducimini, sempiternas inferorum pœnas cogitate, quas non facilè vitabitis, nisi Christum perfectè sequi semel statueritis. Verùm quia nec absens inferorum cruciatus multùm istos movet, tantùm præsentia cogitantes, & ipsi sibi, nescio qua confidentia, pollicentur, se ab ijs immunes evasuros, monendi sunt, nequaquam putare, jucundùm esse homini, ex sensu vivere, ex ratione autem vivere, non esse jucundum. Nam si homo ratione magis quàm sensu constet, quæ causa esse possit, cur jucundiora sint homini, quæ sensum alliciunt, quàm quæ sunt grata rationi? Imò cum ratio in homine una sit æterna, sublimis, domina, una denique hominem faciat, una de rebus judicet, ac decernat, quàm esset insanum, eam in bonum sensus præcia

præcipitem ruere, quod ipsa non percipit; sui verò boni, quò unò oblectatur & gaudet, vel oblivisci, vel, quod absurdius esset, id averfari, & horrere? Rationis autem quod aliud bonum est, quàm Virtus & Sapiencia, ac proinde Christus Dei Virtus, ac Dei Sapiencia? Quid ais? non esse jucundum sequi Christum? Non ita Petrus agebat: *Domine quò ibimus? verba* Ioan. 6. v. 68. *vita eterna habes.* Non ita Petrum secuta tota sentit Ecclesia, quæ clamat assiduè, *Trahere me post te, curremus in odorem* Cant. 1. v. 4. *unguentorum tuorum.* Denique eò cogis, ut aut neges, Virtutem ac Sapienciam jucundam esse rationi; quod si dixeris, deprehenderis, eâ ipsâ, cujus gustum tam malè dijudicas, carere ratione: aut statuas, suis voluptatibus, suo bono carendum esse rationi, si sensui commodum non sit: quod erit dicere, Domino id non esse faciendum, quod servo non libuerit: aut quod est aptius exemplum, sessori frænum & calcaria habenti, eò esse eundem, quò suus equum impetus rapit, non quò res & opportunitas equitis poscat. Et tamen quàm non injucunda sit sensui vita ex virtute traducta, testantur

(ut Sanctos omnes omittam, quorum apud istos languet auctoritas) Epicurei ipsi, qui vel maximè sensui assentientes agebant, voluptatis gratiâ sectandam esse virtutem. Quò miseri devenimus, ut Epicureorum quoque nos exempla damnent! ut ad Christum sequendum ipse nos cogat Epicurus! abominemur hoc probrum, & ipsi Eum ultrò sequamur.

## CAPVT III.

*Voluntatē nostram, quæ bonum querit, nusquam illud inventuram, nisi in Passione Domini.*

*Pf. 144. v. 7.* **C**onverte anima mea in requiem *atque* **A**t tuam. Quousque aberras? quousque à via divagaris? Nusquam nisi in Domini Passione bonum, quod quæris, invenies; nusquam proinde, nisi in Passione Domini conquiesces. Hoc, quia validissimum principium est ad totius vitæ institutionem (quippe Finis, ac Boni constitutio omnium & actionum, & affectionum animi est radix atque origo) diligenter, ac studiosè probandum est. Voluntatis nostræ

stræ motus atque impetus fertur in duplex bonum: alterum, quod amet, quia in se bonum est, atque amore dignum, quem amorem amicitiaë vocamus; alterum, in quod feratur amore cupiditatis, & ut vocant, concupiscentiaë, quia bonum id sibi & commodum experitur. Age, si de priore amore amicitiaë loquamur, quaerendum est, quod sit voluntati nobilissimum, gratissimum hujus amoris objectum? nec dubium, quin id sit unus Deus, qui summum & infinitum est Bonum. Verùm quia hujus vitæ conditio minimè patitur, id bonum à nostra voluntate in ipso fonte degustari, quod assecuturos nos post hujus vitæ spatia exacta confidimus; necesse est, ejus interea derivationes quasdam & effluxus delibemus, & quamdiu fons negatur, rivulos consectemur. Hinc fit, ut voluntas nostra, sitientis instar cervæ, dum ad flumen illud anhelat, cujus *impetus letificat civitatem Dei*, quæcumque hinc fluentia, quæcumque sunt scaturigines, quæ inde ortum ducere videantur, in eas avidè se immergat, ut sitim, quam his sedare non potest, saltem fallat,

ac temperet, ac sæpe, quod miserum est, in lacunas & venenosos fontes imprudens incidat, sæpe etiã siti percita & furens incurrat, & cum voluptate mortem hauriat. Sed, si sapimus, si volumus sitim restringere, & venena vitare, quæram<sup>9</sup> necesse est, ubi sincerior, ubi plenior & uberior Divina se bonitas effundat, illic nos mergam<sup>9</sup>, & quantũ hîc licet, sitim hæc nobis insitam boni amandi restringamus. Perspicuum autem est, nulla certius in re Divinam elucere bonitatem, quàm in Christi Domini Passione, ut omnis alia quæcumque bonitatis ostensio huic uni comparata instar sit guttæ cum oceani immensitate collatæ. Nam cum Dei Bonitas ejus operibus manifestetur, quæ omnia facit bona valde, tribus maximè operibus apparuit, Creatione, Incarnatione, Redemptione. Id tamen eo ordine, ut (si liceret, Deũ usquam se ipso vocare meliorem, qui semper sibi par, nostrâ tantum cognitione capere videtur perfectionis augmenta) primo opere Bonus, Secundo Melior, tertio Optimus diceretur. Etenim amorem ostendit Bonorum Comuni-

municatio. Bona autē vel externa sunt, vel interna: horū Cōmunicatio alia est, quæ amicum bonorum tantū participem facit, ut ijs frui possit; altera, quæ etiam dominum, ut ea in suum usum vertere, ac, si ei libeat, possit abolere. Primo opere Deus Bona sua externa nobiscum communicavit. Secundo communicavit interna, cū nobis Filium dedit, sibi Consubstantialē. Sed solā Incarnatione sic nobis dederat Christum, ut ejus aspectu tantū & societate frueremur. Addidit ergo tertium, ac summum, ut Eum nobis ita daret, ut liceret nobis Eum, si vellemus, etiam interficere, quod summum rei dominium est; imò ut re ipsa, atque affectu is à nobis, & pro nobis interficeretur. Quòd si Cleopatra, nescio quæ mulier, tantū se putavit Antonio viro suo amorem suum commendasse, dum ereptum ex auribus unionem in ejus gratiam aceto dissolutum ei propinavit; quid Deum nobis benevolentia ostendisse dicemus, cū Filium suum ejusdem secum essentia pro nobis tradidit occidendū? Dic mihi Voluntas, quæ bonum, quod ames, quæris, ubi nam putas, te plus divina bonitatis posse



reperire? Commendat Deus in hoc uno  
*Ioan. 3.* maximè bonitatem suam, quòd sic mun-  
*v. 16.* dum dilexerit, ut Filium suum Unigenitum  
 daret. Nusquam ergo tam dulcis & sua-  
 vis est Dominus, nusquam tantùm, quid  
 in eo vis bonitatis possit, ostendit, quan-  
 tum in hoc: unde nullo in opere tanto-  
 pere amandus est, quantum hìc, ubi se ip-  
 sum totum amorì impendit. Atque adeò  
 voluntas, si bonum quærìt, quod amet  
 amore amicitia, nullibi quàm in Passione  
 Domini illud majus inveniet. Et quia  
 nullibi nisi in maximo bono quiescit, non  
 erit ei quies ulla, donec in Domini Passio-  
 nem se totam effuderit. Adde, quòd, cum  
 voluntas nostra conjuncta sit corpori,  
 neque pro hujus vitæ statu bonum abstra-  
 ctum, & quòd sensibus non objicitur, con-  
 templari valeat, Christò Dominò, in quo  
 summam illam & incomprehensibilem  
 Dei bonitatem ipsis oculis videt, necesse  
 est ita afficiatur, ut numquam ab eo pos-  
 sit avelli. Verùm longè potentiùs, & ef-  
 ficaciùs voluntas ab eo trahitur bono,  
 quod non modò in se bonum, sed sibi  
 etiam proficuum & commodum esse cog-  
 noverit.

noverit. Nam ut philosophorum quidam ait : amabile quidem bonum, unicuique autem proprium. At licet omnia, quæ putamus bona, amemus, tamen in ijs quiescimus, quæ nobis bona sunt, & quibus frui ac beati effici possumus, aut speramus. Huc spectans Propheta, *Convertere*, ait, *anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi*, causam, cur ad Deum anima converti debeat, & in eo conquirere, non aliam dicens, quàm ejus in se beneficentiam ac liberalitatem. Sanè quemadmodum in priore parte voluntatem nostram cervæ sitiienti comparavimus, ita hîc eam licebit mendico, opem, stipem undecumque corroganti comparare, qui si ad opulentissimi ac beneficentissimi hominis domum devenerit, illic tandem, quod quærebat, nactus conquirat. Oberret licet voluntas nostra cœlum ac terram, omnia ostia pulset, ab omnibus quantumlibet emendicet, nulli bi quod ei opus est, inveniet. Tandem, ubi ad Christi Domini Passionem venerit, reperitâ ope, quam poscebat, læta, dives, opulenta finem vagandi facit; eget enim

B s                      volun-

voluntas gratiâ, eget remissione peccatorum, eget virtutibus, eget pace : quis hæc ei dabit, nisi Christi Passio, bonorum omnium nobis prodiga muneratrix ? In tribus his amor concupiscentiæ conquiescit, in beneficij bonique præteriti memoria, in præsentis gaudio, in spe futuri: una Christi Domini Passio hæc tria habet, ut sit beneficium bonumque nostrum, & præteritum, & præsens, & futurum. Multa enim & pretiosa sunt, quæ nobis per eam bonitas divina largita est, multa, quæ quotidie largitur, multa, quæ largitura est in futurum : ut bene de ea dicatur ex Canticis, *omnia poma nova & vetera illic inveniri.* Quò verò apertius appareat, nullibi Domini Deique nostri in nos beneficentiam extitisse majorem, quàm in Passione subeunda, necesse est animadvertere, beneficia quatuor conditionibus æstimari: Rei magnitudine, Dantis amore, Accipientis necessitate, & comparatione horum trium inter se, Dantis, Accipientis, & Beneficij seu Reidatæ. Hæc autem si perpendas, omnia in Domini Passione summa comperies. Nam  
 quan-

quando unquam Deus nobis plus dedit, quàm cum seipsum dedit, & ad mortem dedit, & ad mortem Crucis? Res data, ne fingi quidem, aut optari major potest. Nec sanè dari præstantius poterat, quàm data est, cum ita nobis se Deus tradiderit, ut nemo unquam re suâ, non dicam filiò, non servo, sed vix brutâ aut inanimatâ re, tanto cum contemptu uti potuerit, & tam crudeliter eam destruere, ac perdere, quàm nos Christum, nobis datum excruciauerimus, & occiderimus. Parum nunc est, addere, unâ cum Christo nobis omnia Sacramenta, auxilia, & habitus gratiæ, dona Spiritus Sancti, gloriam animæ & corporis, & quidquid est bonorum, quæ naturæ capacitatem excedunt, & supernaturalia vocantur, Ejus Passionis meritò esse donata. Parum est, addere, naturalia quoque dona, & beneficia, quæ ad gratiæ susceptionem, vel augmentum ordinantur, atque adeò totum hunc ordinem rerum, totum hoc universum (quia omnia propter electos, electio omnis ob Christi Redemptoris est gloriam) Ejusdem Passionis efficacitate, & pretio nobis esse

com-

comparata. Hæc, inquam, priori beneficio non multum addunt: Universum enim Deo qui addit, infinitis partibus minus addit, quàm qui ipsi universo atomum unam ex his, quæ in sole videntur, adjiceret. Bene igitur S. Paulus hujus di-

*Rom. 8. Scriminis æstimator ait: Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non omnia nobis simul cum illo donavit? Sunt quidem hæc maxima, & pretiosa, uti ea S. Petrus appellat; sunt majora, quàm capere nostra mens; ampliora, quàm posset spes nostra concipere: sed collata cum Deo Ipso, qui se nobis dedit, ita in abyssio infinitæ illius dignitatis absorbentur, ut nusquam ap-*

*Cant. 8. pareant; posteaquam enim Deus se mihi dedit, etiamsi dederit omnem substantiam domus sue, & omnipotentiam suam largiendo, si fieri possit, exhausserit, quasi nihilum despiciet ea. Hactenus de magnitudine rei datæ, ex qua etiam amor ac benevolentia Dantis apparet: licet enim Deus ipse infinitus in omnibus suis bonis cum sit, quicquid facit, infinito amore faciat, non semper tamen infinitus Dei a-*

mot

mor se prodit infinitè, imò nullâ aliâ in re infinitum amorem Deus prodidit, quàm cum nobis infinitum bonum dedit seipsum. Omissis autem ijs, quæ amorem dantis ex collatione cum accipiente demonstrant, de quibus postea dicendum est, attendamus innumeras conditiones, quæ Dei amorem nobis in hoc beneficio singulariter ob oculos ponunt. Celeritas in dandis beneficijs magni æstimatur: nemo se celerius dedit nobis, quàm Christus, qui pro nobis, antequam nos nasceremur, occisus est, imò ut B. Joannes ait, *ab origine mundi*: imò ut ait S. Paulus, fuit *hoc Sacramentum absconditum à seculis in Deo, qui omnia creavit*. Difficultas superata auget beneficium, & amorem dantis ostendit: nullum opus difficilius Deo fuit, quàm Redemptio, quippe non modò tamquam Deus, omnem suæ omnipotentix vim virtutemque exercuit (*fecit potentiam in brachio suo*, inquit *Virgo. Quis credidit auditui nostro, brachium Domini cui revelatum est?* inquit *Isaias*) sed factus Homo eos labores sustinuit, eas molestias ac dolores exhaust

*Apocal.*

*13. v. 8.*

*Ephe. 3.*

*v. 9.*

*Luce. 1.*

*v. 23.*

*Isai. 53.*

*v. 1.*

fit

fit, quibus tantum cogitandis fortissimus ille animus lethali agonia usque ad sanguineum sudorem laboravit. Denique si Dantis beneficium amor alacritate, constantia, modestia, promptitudine commendatur, haec omnia facile quisque perspiciet in Domini Passione summa fuisse. Nec minus Accipientis indigentiam, & inopiam beneficium magni fieri solet: vel unius interdum nummi opportuna subministratio ingentis instar doni obtinet. Siquis guttam aquae poscenti diviti, in igne tartareo jacenti, dedisset, haud dubium, quin ille eam pluris esset aestimaturus, quam olim magna praedia, & regias divitias. Is erat plane noster olim status, ea post Adami culpam miseria, ut nusquam ulla spes levandae summae inopiae se daret. Parum est dicere, nos similes fuisse ei, *qui incidit in latrones, a quibus & exspoliatus est, & plagis impositis semivivus relictus.* Parum est ad calamitatem nostram exprimendam Jobum inducere, post amissa omnia bona, & liberos, ac servos, & super haec valetudinem corporis, in sterquilinio sedentem, & testam saniem radentem. Nam & viator ille

semivi-

Luc. 16.  
v. 24.

Luc. 10.  
v. 36.

Iob. 2.  
v. 28.

semivivus erat relictus, nos autem omnino mortui: et in Job cum omnem potestatem diabolus accepisset, tamen ei dictum fuerat: *verumtamen animam illius serva:* in nobis autem primum, quod perierat, anima erat. Plus dixerò, si universè cum Regio vate pronunciavero, nos per peccatum, & primi parentis & nostrum, ad nihilum redactos fuisse, & quod pejus est, fuisse nostræ calamitatis ignaros: *ad nihilum redactus sum, & nesci- vi.* Etenim Deo offensò, à quo omnia acceperamus, necesse erat, eum à nobis averti, ac proinde subtrahere, quæ dederat bona, nosque in nihilum nostrum redigere. Sed est etiam, quod huic dicto addamus, miserio rem adhuc turpiorè mque nostram conditionem fuisse ijs, qui nunquam fuerunt, quippe qui sui nihili, ut ita dicam, rei non sunt, nec ipsis pœna est nihil esse, quod nobis deberetur, ut pœna. Denique vix illi, per quem Deus offenditur: *bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille:* eo in statu res nostræ erant. Et quemadmodum si quis gravem incidat Regis offensionem, is continuo ab omnibus

Iob. 3.

v. 6.

Psa. 72.

v. 22.

Matth.

26. v. 24



bus ita deseritur, ut pro ingenti habeat beneficio, si quis eum vel aspectu aut sermone dignetur, ita nihil adeò exiguum nobis, peccatò omnia demeritis, dari poterat, quod non longè maximum in hac fortuna videri deberet. Nunc ad quartam conditionem deveniamus: comparanda sunt inter se nostra indigentia cum Dei amore, ac beneficij magnitudine: conferenda hæc duo extrema, Deus, Homo. Ille offensus, ille Dominus, ille Judex, nos peccatores, servi, rei: Illum tamen eò usque devenire voluisse, ut non modò beneficium, ac tantum, noxæ, ac tantæ rependeret, sed, beneficio nobis dato, noxam in se susciperet, hominem, quem oportebat ex justitiæ legibus severioribus in nihilum redigere, Deum fecerit, ut pro hominibus satisfaceret; Deum, cui omnis honor, omnis gloria debetur, ignominia & confusione, quæ nobis debebatur, objecerit, &, quod inter nos vilissimi cerdones faciunt, ut læsi à potentibus ipsi ultro veniam deprecantur, hoc fecerit ipse Rex & Creator, ut nostra mortalitate suscepta ipsemet nostram culpam depre-

deprecarivellet, ac luere, & ob scelus hominis sub homine iudice Deus homo factus, ac reus constitutus, supplicio plecteretur. Hæc proculdubio tanta sunt, ut necesse sit, voluntatem nostram hujus bonitatis ac beneficij abyssio absorberi.

## CAPVT IV.

*Voluntatem nostram, quæ malum fugit, nusquam alibi tutum perfugium, quàm in Passione Salvatoris habituram.*

**I**ngredere in petram, & abscondere in fossa humo. Verba sunt, quibus nos hortatur Isaias, ut cum nos undique tot malis urgeri videamus, ut nulla ex parte effugiũ pateat, quoniam in cœlum evolare non possumus, dum hujus corporis pondere deprimimur & gravamur, quod unum restat, in terram ipsam subeamus, & hîc latibulum quæramus; aliud enim nihil ei superesse videtur, qui & undique prematur, & in cœlum evadere nequeat, quàm ut sub terram se recondat. Terra autem hæc, & petra Christus est, terra  
 C viven.

Isai. 2.  
v. 10.

*Psa* 128. tot vulneribus foderunt, & supra cuius  
*v. 3.* dorsum araverunt peccatores; petra, quæ  
*Psa.* 103. tutos recessus & latebras habet, in quas,  
*v. 18.* qui se receperit, nullum hostem, nullum  
 malum timeat. Quemadmodum igitur  
 ostendimus, voluntatem nostram, si bo-  
 num quærit, nullibi id inventuram magis,  
 quàm in Domini Passione, ita nunc osten-  
 damus, eandem, si malum fugit, nullibi cer-  
 tius ac tutius habere posse perfugium, quàm  
 in eadem Domini Passione: ut, si minus  
 amor, quod deberet, ad eam contemplan-  
 dam nos alliciat, certè timor cogat, &  
 utrinque compulsi tam salutarem institu-  
 endæ vitæ normam à nobis abdicare ne-  
 queamus. Id verò, ut certum ponimus,  
 inter hujus mundi mala voluntatem no-  
 stram esse cervæ instar, aut damulæ, quam  
 undique venatores & canes circumst-  
 ant, quæ, cum ab omnibus eripere se fu-  
 gâ cupiat, nec possit, trepida & timore  
 amens, non rarò à minore ad majus pe-  
 riculum se vertit, & canem fugiens in ve-  
 nabulum se induit. Operæ pertium est  
 videre, quænam mala sint, quæ omni ex

parte

parte nos obsident, atque ita dispicere, ut quod aliud perfugium sit, præter unam Domini Passionem, quò ex tot malis possimus evadere. Sed malorum nostrorum numerum inire quis poterit? cum Propheta omnium locò ac nomine dicat: *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus.* Tres nihilominus ordines, & veluti classes malorum nostrorum distinguere possumus, quarum prima se habeat ut malum ipsum, quod est boni privatio: secunda ut actio, sive effectio hujus mali: tertia ut agens, & effector, à quo ea procedit actio atque effectio. Nam & mors malum, est, quia vitâ privat: & vulnus est malum; quia mortem affert: & malus hostis, qui vulnus infligit. Ordiamur à primo: Malum ipsum, quod boni privationem esse descripsimus, etsi multiplex est, quod à nobis timetur, tamen brevitatis causâ duplex tantùm esse dicemus, Mortem scilicet corporis, & Animæ. Nam cum bonum duplex sit, alterum naturale, alterum quod naturam excedit, erit etiam duplex summum malum; alterum, quò supernaturali bono privamur, quod

*Psal. 39.  
v. 13.*

est æterna felicitas; alterum, quò bonum nobis adimitur naturale, quod est vita. Cætera verò mala ad hæc, velut initia quædam & dispositiones, pertinebunt. Hujus duplicis mali timor in nobis eò major & gravior est, quò alterum alteri sæpe conjungitur & cohæret, atque à primâ morte transitur ad mortem secundam. Gravis per sese timor est mortis, quâ simul omnia, quæ in terris habebamus, amittimus, & super omnia nos ipsos. Gravior est metus damnationis æternæ, in quâ qui semel incidit, omne miseriarum genus tamdiu feret, quamdiu Deus erit. Nullus à mortis metu temporis articulus vacat: omnis hora, omne momentum vitæ nostræ potest supremum esse: nec loci ullius, nec ætatis est ullum discrimen, ulla securitas. Damnationem verò æternam, & quæ eam consequuntur sempiterna supplicia, quàm facilè mereri possumus? Vnum verbum si excidat, unus cupidior jactus oculorum, una improba cogitatio, actum est, decretum est, perimus, nisi Deus opem ferat, à nobis nulla spes est. Eo igitur duplici timore circumdatus & obsessus David gemebat

*Cir.*

*Circumdederunt me dolores mortis, pericula inferni invenerunt me.* Quid homine miserius, inter hæc duo summa discrimina constituto, quorum alterum, id est, mortem omnino vitare non possit; alterum, id est, damnationem (suis viribus) multò minus? Quid agat? quò se vertat? Ad medicos confugiat, qui potionibus & curationibus mortem arceant? Frustra est. Æsculapius sibi ipse non profuit: Hippocratem & Galenum citiùs, quàm voluissent, mors rapuit: quid ab ijs alij sperent, qui ne sibi quidem opem ferre potuerunt? Scilicet, *medici suscitabunt.* Sed *Psa. 87. v. II.* si mortem vitare non possumus, saltem æterna supplicia, quæ nobis ob nostra commissa debentur, vitare possemus. Ne id quidem; nam quibus officijs, quibus supplicijs culpam semel admissam expiare, aut compensare conabimur? Deum, Homines offendimus, Infinitum Numen, inæstimabilem Majestatem, Dignitatem omni humanæ mentis cogitatione majorem, infando ausu læsimus, imminuimus, violavimus. Quicquid obsequij rependamus, infinitis partibus minus est; Injuria

ria enim è personæ offensæ dignitate pensatur ; Satisfactio dignitatem suam omnem è satisfaciente desumitur ergo nec nos nobis in eo possemus opem ferre, nec quisquam alius, etsi conjunctis studijs omnes pro unius culpâ homines infinito tempore

*Psa. 48.*  
*v. 8.*

omne obsequij genus Deo offerrent. *Frater non redimit, redimet homo: non dabit Deo placationem suam, & laborabit in aeternum, & vivet adhuc usque in finem.*

Ne igitur salus utraque hominum esset extra omnem spem, Christus datus est nobis utriusque mortis domitor & victor, utriusque vitæ assertor & vindex, qui salutari sua Passione nos ab utraque morte defenderet, ut, quamdiu eum sequimur, il-

*1. Cor. 15* ludere utrique possimus ac dicere: *Ubi est*  
*v. 55.* *mors (id est prima) victoria tua? Ubi est*  
*mors (id est secunda) stimulus tuus? U-*

*tramq; enim Mortem Dominus sua morte superavit, & re ipsâ præstitit, quod mi-*  
*Ose. 33.* *natus fuerat. O mors, ero mors tua, mor-*

*v. 14.* *sus tuus ero inferne!* Nullum igitur aliud habes effugium anima, tuarum maximè culparum memor, quò ab inferorum metu evadas, nisi Passionem Domini, si

tamen

tamen eam non otiosè contemplaris, non fide mortua credis, sed sequeris, sed constanter imitaris. Nam si *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam,* *Luc. 24. v. 26.* multò magis te oportet pati, & crucem ferre post ipsum. *Si enim sustinuerimus, & conregnabimus.* *2. Tim. 2. v. 12.* Mortis verò corporeæ metum eòdem confugiens facilè evades. Primùm, quia cum Christo mori tibi non erit metus, sed votum, & spes, & lucrum: deinde quia vita, ad Dominicæ Passionis exemplar traducta, nihil habebit illecebrosum, quo tetrahat ac teneat, ut mori nolis: postremò, quia tã strenuis & impavidis cogitationibus te armabit Dominicæ Passionis exemplum, ut mortem sis ultro provocaturus, beatam appellaturus, & cum Andrea dicturus: *O bona crux, tam diu desiderata!* Sic apparet, extrema hæc mala, Mortem & Æternam damnationē non posse vitari, nisi ad Domini Passionem confugeris. Altera classis malorum in actione consistens, ut rem nunc ita vulgariùs definiamus, illa complectitur, quæ aut animo, aut corpori cœterisque externis bonis molesta sunt: velut animo



peccata, vitia, errores, passionēs, perturbationes: Corpori ac bonis externis morbi, ictus, vulnera, deformationes, jactura, infamiae, exilia, orbitates. Hæc omnia ideo mala sunt, quia aliquam actionem significant aut inferunt, quâ bono aliquo privamur, quod bonum non est finis (sicut Mors, atque Æterna damnatio ipso fine nos privant) sed medium ad finem. Corpus enim & bona externa media sunt, quibus bene, ac feliciter vivamus in hac mortali vita. Animi verò bona sunt, quibus altiore illam felicitatem, ac vitam adipiscimur. Ille autem, qui vitam instituit ad Dominicæ Passionis exemplar, cum Apostolo dicit: *Christo confixus sum cruci: vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.* Itaque omnem bonorum externorum, & corporis jacturam lucrum putat, instructus altiore quadam sapientia, quâ docetur intelligere, quid ei expediat magis, & quibus bonis indigeat. *Quam mihi fuerunt lucra,* inquit Apostolus, *hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam*

Gal. 2.  
v. 19.  
& 20.

Phili. 3.  
v. 4.

entiam

entiam Jesu Christi Domini mei. Quoad  
utraque igitur mala extra metum, & ex-  
tra sensum est. Sed quia is apex perfectio-  
nis non omnibus contingit, & multi vel  
audire horrent ejusmodi abnegationes, ac  
detrimenta rerum omnium, quæ si semel  
degustarent, in polterum Apostolo subscri-  
bere non timerent: satis erit pro omnibus  
dixisse, non aliam magis esse contempla-  
tionem, quàm noster animus adversus om-  
nia mala externa & interna armetur, ac  
roboretur, quàm Dominicæ Passionis, ut,  
qui hoc exemplo non proficit ad virtutem  
& constantiam, ejus animi planè sit de-  
sperata curatio. Superest tertium malo-  
rum genus, in quo ipsos, qui nos insectan-  
tur, diximus posse numerari: qui sunt,  
Deus criminum nostrorum vindex, An-  
geli ejus ministri, Homines æmuli, insi-  
diatores, infensi, blandi, deceptores, Dæ-  
mones postremò cruenti & capitales ho-  
stes, latrones, calumniatores, omnium  
nobis malorum auctores. Adversus hanc  
aciem, instructam in perniciem nostram,  
nihil habemus salutaris & præsentius  
Domini Passione, quæ Deum placat, An-  
gelos

gelos nobis conciliat, homines ac Dæmones vel compescit, vel ex ijs infensis dat nobis referre victoriam. Quò igitur aliò se conferat volùtas nostra tot malis undique instantibus, quàm ad hoc unum per-fugium Dominicæ Passionis?

## CAPUT V.

*Intellectum nostrum nullibi posse  
conquiescere, nisi in Domini Passione  
meditanda.*

**N**ihil arbitratus sum me scire inter  
 1. Cor. vos, nisi Christum, & hunc Cruci-  
 2. v. 2. fixum. Hoc de se ille Apostolus loqui-  
 tur, cui supremam Theologiæ, ac Sapi-  
 entia Christianæ laudem nemo non de-  
 fert; qui vivens ad tertium usque cæ-  
 lum raptus ea vidit, quæ nemo unquam  
 2. Cor. cogitaverat, ea audivit, quæ referre non  
 12. v. 4. potuit. Necessè est igitur, summa totius  
 Sapien-tiæ Christianæ in Christi Domini  
 Passione consistat, quandoquidem Pau-  
 lus, qui omnia ab ipso Christo accepit,  
 Gal. 2. cui nec Petrus quicquam addere potuit,  
 v. 6. quod ipse à Christo non antè didicisset,  
 nihil

nihil aliud præter hoc unum scire se profiteretur. Et unam hanc scientiam tantopere extollit, ut in ea se auditores ac discipulos Angelos habere, non dubitet affirmare. *Mihi, inquit, omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc in Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à seculis in Deo, qui omnia creavit, ut innotescat principibus, & potestatibus in caelestibus per Ecclesiam multiformis Sapientia Dei.* Operæ pretium proinde erit, ostendere, contemplationem Passionis Domini esse summam & præstantissimam, quam noster intellectus in terris constitutus habere possit, & in qua una maximè possit conquirere. Sic enim fiet, ut hinc gemino actu voluntatis, hoc est, prosecutionis, & fugæ, inde intellectu Christo adhærentes, his veluti tribus clavis ejus cruci configamur, ut nunquam ab ea possimus avelli. Convenit inter omnes Philosophos, intellectus nostri adæquatam objectum, ut ipsi loquuntur, hoc est, in quo ille se totum effundat, & nunquam ex

eo ad alia divertat, esse Deum primam  
 causam: cum enim vis intelligendi uni-  
 versè feratur ad verum, nulla re finitâ ex-  
 pleri potest; quæcumque enim finita res  
 ita certis limitibus continetur, ut non sit  
 id omne, quod potest humana mens ca-  
 pere. Unus Deus est, in quo, ut omni-  
 um rerum essentia, ita omnium veritas  
 continetur: unus est, quem qui intelligit,  
 tantum intelligit, quantum potest: & si  
 is, qui Deum intelligit, Deus non est, plus in-  
 telligit, quàm potest; Dei enim ope, &  
 gloriæ lumine adjuvatur, ut plus, quàm  
 possit, intelligat: & qui eò jam pervene-  
 runt, extra omnem plura quærendi cur-  
 ram sunt; in uno enim cuncta Verbo vi-  
 dent, in uno cuncta intelligunt, in uno  
 igitur quiescunt. Sed ea felicitas hujus vi-  
 tæ non est; quamdiu enim peregrinamur  
 à Domino, & per speculum in ænigmatibus  
 tantùm ex parte cognoscimus, duabus ex  
 causis intellectus noster in hac una invisibi-  
 bilis Dei contemplatione non quiescit.  
 Primum, quia valde parum est, quod de  
 ejus invisibili essentiâ per ea, quæ facta  
 sunt, colligit, aut quod in sacris litteris  
 edoce

edocetur, & pauci admodum sunt, quibus ad hæc intelligenda vel otium est, vel facultas. Deinde quia, etsi possemus omnes in contemplationem invisibilis Dei semper intenti esse, eamque non experiremur ita difficilem, tamen id non esset conforme & consentaneum huic animæ statui, quò corpori est alligata. Mens à corpore libera verum speculatur abstractum, & ab omni materiæ contagione secretum; mens adnexa corpori in id verum suapte natura fertur, quod est adspectabile, aut sensibile. Esto igitur Deus invisibilis sit nudæ, & à corpore sejunctæ mentis objectum; at hominis viventis in corpore proprium objectum, & propria erit contemplatio Deus visibilis, Deus & ipse corpori unitus, ut omnino, quod in omni actione requiritur, objectum potentiæ respondeat, & ita alterum se habeat, ut alterum. Cùm ergo Christus Crucifixus, Deus sit visibilis, Deus homo, idemque sit causa rerum omnium, tum efficiens, quia *omnia per ipsum facta sunt*, tum finalis, quia ad ejus gloriam totus ordo naturæ, & gratiæ dirigitur, &

Ioan. 1.  
v. 3.

*Ioan. 12. v. 32.* & ego, inquit ipse, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum, cumque eius Passio fuerit totius uniuersi instauratio, ut loquitur Apostolus, *Instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terris sunt in ipso*: cum denique totum Vniuersum per Christi Passionem redierit ad Deum, ex eiusdem Apostoli altissimâ doctrinâ: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*: nullum aliud videtur esse magis proprium intellectus nostri, dum in hac vita versamur, obiectum: nam in ea Deum habemus rerum omnium antiquissimam causam, omnia instaurantem, perficientem, & ad se omnium Principium revocantem, in quo rerum consummatio posita est. Quare & Passione perfectâ Dominus dixit: *Consummatum est*. Quæ vox à Creatoris ac Redemptoris ore profecta significat, tum demum utrique operi supremam manum fuisse impositam, & summam ostensionem bonitatis ac potentiaæ diuinæ esse factam, quod fuerat ante omnia sæcula diuinæ mentis propositum. Vides igitur *1. Cor. 1. v. 23.* mysterium crucis, quod gentibus stultitia, Iudæis

Judæis scandalum erat, esse Sapiëntiam  
ac Virtutē Dei, in quam unā contemplan-  
dā omnis humana mens veri sciendi cupi-  
da perpetuò deberet intendere. Verūm  
quia non scire tantū cupimus, ut scia-  
mus, sed etiam ut actus nostros eā scientiā  
dirigamus, & quia intellectus noster non  
speculativus tantū est, ut loquuntur  
Philosophi, sed etiam practicus; adden-  
dum est, ex hac quoque parte nusquam e-  
um, nisi in Domini Passione quieturum.  
Quemadmodum enim Intellectus specu-  
lativus nunquam quiescit, donec unum  
verum inveniat, in quo omnia vera possit  
intelligere: ita intellectus practicus ne ipse  
quidem antè conquiescere potest, quā  
unum verum practicum reperiat, ex quo  
omnis actio dirigi possit. Nullius autem  
humanæ sententiæ, vel actionis contem-  
platio ejusmodi est, ut eā omnes vitæ no-  
stræ actiones proximè, & efficaciter diri-  
gi possint: tum quia hæc omnia finita sunt,  
& suis terminis, suisque conditionibus cir-  
cumscripta; tum quia humana, ac pro-  
inde nec certa, ac tuta à periculo erroris,  
nec ejus ordinis, cujus sunt Christianæ  
actiones,



actiones, quæ ad supernaturalem finem diriguntur. Necessè erat igitur, esse aliquam insignem supernaturalem actionem, quæ simul humana esset, ut eam homo posset imitari, simul Divina, ut ei nullus metus, nulla suspicio subesset erroris, utque infinitæ prudentiæ capax esse posset, atque infinitarum actionum regula: ea fuit Passio Domini nostri Dei & Hominis actio, in hoc ipsum facta, ut esset regula ac norma omnium humanarum actionum, ut ex ea omnes certam, divinam, facilem, felicem, promptam, omnibus congruentem possent haurire prudentiam. Vanum ergo est, quicquid humana solertia tantò studiò molitur, ut normam agendi vivendique ex aliorum hominum rebus gestis quærat: illa enim omnia si tantùm humana sunt, periculo subijciuntur erroris; sin ex divina gratia sunt profecta, ideo probantur, quia ad

2. Cor. hoc unum exiguntur exemplar. *Imitatio.*  
 II. v. I. *res mei, inquit, estote, sicut & ego Christi.* Domini igitur Passio est instar universalissimæ legis vivendi, ad quam quicumque suæ mentis decreta conformant,

illi sapiunt, qui aliter sentiunt, delirant. Hæc est Sapiencia, quæ in summis verticibus Calvariæ montis clamat, & in medijs semitis Hierosolymæ dat vocem suam, omnes ad sese audiendam invitans. Discite à me omnes, non argumenta fallendi, quæ Romæ Tiberius docet; non voluptuariam tyrannidem, quam exercet Herodes; non calumniarum artificia, quæ Caiphas & Pilat<sup>9</sup> in Concilijs suis & prætorijs tradunt: sed meo exemplo mites esse & humiles corde, ac tum demum invenietis requiem animabus vestris, quam sectantes humanæ exempla prudentiæ nunquam poteritis invenire. Quorsum igitur ingenia nostra per tot varias inanium rerum inquisitiones vagantur? cum in hac una contemplatione tam facili, tam obviâ, tam necessariâ, salubria omnia, quæ alibi optare potius, quàm sperare possemus, cumulatissimè simus habituri? Huc animos, huc studia, curasque nostras à diuturna evagatione vertamus; in hoc uno hæreamus obtutu, nec aliud velimus scire, quàm Christum, & hunc Crucifixum. Quid enim, si hunc scierimus,

D

mus,

Colo. 2. mus, nesciemus? In illo enim sunt omnes  
 v. 3. thesauri Sapientiae, & Scientiae Dei ab-  
 Eccl. 24 scconditi. In illo omnis gratia vitae &  
 v. 25. Veritatis. In illo vera lux, quae illumi-  
 Ioan. 1. nat omnem hominem venientem in hunc  
 v. 9. mundum. Quid est, quod ad rei alicujus  
 contemplationem hominis animum rapi-  
 at, quod in hac unâ non simus reperturi?  
 Placet novitas? Quid magis novum, in-  
 auditum, prodigiosum, scitu dignum, in-  
 signe memoratu, quàm Deum Hominem  
 tanta, ac tam atrociam pro hominibus pati?  
 Allicit magnitudo? Quid majus, quàm  
 totius Universi omnium ætatum præteri-  
 tarum, præsentium, futurarum negoti-  
 um in uno homine, unâ die agi? quàm  
 Deo in Christo Mundum reconciliari,  
 Regnum cælorum, ac vitam æternam tu-  
 nus morte patefieri, mortem morte su-  
 perari, crimine Deicidij ab hominibus  
 impiè patrato (prodigium clementiæ!)  
 vetus primi hominis crimen aboleri? Tra-  
 heris ad aliquid contemplandum multa  
 sciendi cupiditate? Quid scitu optabilius  
 quid, in quo plura uno obtutu scias? quid,  
 quò unò ignoratò tam multa nescire o-  
 porteat

porteat. Invitaris difficultate? quid diffi-  
 cilius? quid implexius? quàm intelligere,  
 Deum simul & hominem, & offensum à  
 nobis atque iratum, & iudicem & acto-  
 rem, & tamen eodem tempore nostra cri-  
 mina suscipientem, & luentem, & patro-  
 num, & locò nostrò reum; liberum eun-  
 dem esse, & sponte mori, & tamen Patris  
 obedire præcepto, cui repugnare non pos-  
 sit; beatam, & omni jucunditate cælesti  
 lætam vitam agere, & tamen mærere, tæ-  
 dere, pavere, agoniâ conflictari, dolo-  
 ribus excruciarî; tandem Vitam mori, Sa-  
 lutem perire, Lucem extingui? Quod si  
 hæc omnia satis non sunt, illud sit satis  
 (si sapias) hanc unam tibi contem-  
 plationem ad vitæ mortalis in-  
 stitutionem, æternæ adeptio-  
 nem, & necessariam esse,  
 & sufficere.



## CAPVT VI.

*Initium vitæ bene instituendæ esse, proponere sibi congruentem ac Deo gratum finem, & media ad id apta, & probata.*

*Matth. 26. v. 2.* **P**assio Domini Nostri Jesu Christi secundum Mattheum. In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Scitis, quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur, ut crucifigatur. Exordium hoc Passionis Domini initium vitæ bene instituendæ nos docet: nam quemadmodum Dominus ex præcognitione finis sui, sibi à Patre præscripti, atque à se prompto animo suscepti, movetur ad ea ordinanda, quæ ad eum finem ducerent; ita nos debet ante omnia spectare, quem finem nobis Deus, ac Pater noster cælestis præstituerit, atque ad id media idonea deligere. Hoc primum in rationalis hominis vitæ esse debet, ut sciat, cui rei vivat, quid quærat, quò tendat, & quâ; ne casu, ne temerè diem dies tradat, & abeat vagus in viâ cordis sui. Duo igitur ex hoc Domini

*Isai. 57.  
v. 17.*

ni dicto, factoque discenda sunt: primum, quam sit ea Finis propositio, Electioque mediorum nobis omnibus necessaria; deinde quò pacto bene ac solidè ita fieri possit, ut nunquam ejus nos pæniteat. Necessitas ex duobus maximè constat, ex Christi Domini exemplo, & ex brevitare vitæ. *Dixit Jesus discipulis suis.* Sapi-  
 entia est, quæ loquitur: discamus omnes; ideo enim illa de cælo venit, ut nos doce-  
 ret vivere, *ad dirigendos pedes nostros in* *Lucæ. i.*  
*viam pacis.* *Dixit Jesus, cui omnes pa-* *v. 19.*  
 rere mandanti, subscribere decernenti, auscultare suadenti nisi velint, & Deo ingrati, & sibi ipsis inimici esse coguntur. Et Discipulis suis dixit: nobis nempe, qui nos ultro in ejus obsequium ac disciplinam dedimus, ut, vel si alijs liceret ab ejus consilijs jussisque discedere, ob susceptam tamen vitæ normâ nobis non liceat: Christiani sumus, ex ejus præscripto vivere constituim⁹, de ejus nomine nomē traxim⁹. Sed quid hoc est, quod audio? Dei Sapien-  
 tia, *cujus ordinatione perseverant dies,* *Ps. 118.*  
*cujus nutu eunt tempora, necesse habet* *v. 91.*  
 dies supputare, diligenter prævertere, ac

præoccupare tempus, ac si ipse consilium suum diebus accommodaret, non ex ipsius consilio temporum ac dierum momenta penderent. Quid etiam hoc est, quòd discipulos in consilium advocat, qui Patris sapientia est, qui novit omnia, antequam sint, qui à Propheta Magni consilij angelus nominatur? Ista nimirum ideo fiunt, ut nos, quæ nobis sunt facienda, discamus. Pudeat igitur nos, tam inconsultè ac temerè vivere, paucòsque hos dies nullâ in itâ rerum nostrarum ratione traducere, cùm Sapientia ipsa consilium inerat, dies supputet, alios quoque rerum gerendarum vel consiliarios, vel testes advocet. Atque hinc ad alterum transgrediamur, quod est brevitatis temporis. *Scitis, quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur.* Instat finis, Fratres, biduum tantùm superest, sed è duabus una est dies vitæ, altera judicij: quod hac die non fecerimus, illâ alterâ frustra fecisse cupiemus. Quid agimus? Quibus curis vitam insumimus? Quibus studijs infenescimus? Hoc agendum est, quod instat. *Scitis, inquit: ambigua res non est.* Non

Non hoc aut Aristoteles differit, aut suadet Tullius, aut demonstrat Euclides. Res est omnibus clara, perspecta, manifesta: moriendū est; et hac ipsā die moriendum est, sive ineuntis ætatis aurorā, sive auctæ confirmatæque meridie, seu vespere senectutis, seu nocte decrepitæ; seriùs ocyùsve moriendum est, intra hanc diem. Nondum, quid tibi hac die agendum sit, prospicis? nondum Apostolos in consilium advocas? cave, ne, dum cunctaris, *tenebræ te comprehendant*. Sed fortè jam cernis, omnino eam consultationem tibi esse necessariam, quod ipsa naturæ præcepta, & insita ratio nos docent: illud optares scire, quò pacto & optimum finem tibi præstitueres, & media ad eum congruentissima posses indagare. Sectemur Christi vestigia, ipse est enim via, quæ ducit ad veritatem, & veritas, quæ ducit ad vitam. *Scitis, inquit, quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur, ut crucifigatur*. Duo à Christo Domino proponuntur, Pascha, & Crucifixio. Pascha commune erat omnibus; Crucifixio ipsius erat peculiaris: Utrumque autem e-

Ioan. 10.  
v. 35.



rat à Patre præceptum. Duplex unicuique proponendus est finis: communis alter, alter peculiaris: uterque non proprio Marte excogitatus, sed præfixus, ac præstitutus à Deo. Ac finis quidem omnibus propositus est, ut ita quisque hoc toto vitæ cursu Deum amet, revereatur, ejusque mandatis obtemperet, ut tandem post mortem beato ejus aspectu frui, & à mortali vita ad æternam transire mereatur. Hoc enim significatur hac voce, *Pascha*, quæ transitum sonat, & quâ populi Israelitici transitus ab Ægyptiâ servitute ad terram promissam colebatur. Hunc primùm omnes finem spectare debemus; hoc Pascha nobis ob oculos semper esse debet. Quòd si Pharisei, ac Principes Sacerdotum, frustra in scelere religiosi, Prætorium ingredi nonlebant, *ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*, longè æquius est, nos illud verius Pascha spectantes contaminari nolle, nolle prætoria, in quibus de Christo damnando agitur, ingredi, & rebus omnibus, quæ ab æterna solennitatis celebratione nos arcent, abstinere. Ac præter hunc finem alter est nobis quærendus

*Joan. 28*

*v. 28.*

cus peculiaris, ac proprius, qui ad prior-  
em comparatus medij posset habere ra-  
tionem. Is autem est Crucifixio, per quam  
itur ad Pascha, hoc est, ut unusquisque  
nostrum Domino monente velit Crucem  
suam tollere, & in eâ, & cum eâ mori. Sua  
unicuique crux est à Deo parata, & ad mo-  
dum ejus, cui destinatur, aptata; hæc à nobis  
quærenda, hæc alacriter in humeros at-  
tollenda, & nunquam deponenda est.  
Non jubemur crucem ipsi nobis elabora-  
re, aut inter multas eligere, non alter al-  
terius occupare, sed suam quisque sollici-  
tè quærere, & fortiter bajulare. Crucis  
autem nomine Vitæ Statum, ac Rationem  
intelligo; quæ, si recta est, necesse est, ad fi-  
guram formamque Dominicæ Passionis  
instituat, & proinde aliud quàm Crux  
esse non potest. Necesse igitur est, quisque  
apud se statuatur, quod vitæ genus maximè  
sectari ei conveniat. Triplex hominum  
vitæ status est: Monasticus, eorum, qui se  
tantum curant; Oeconomicus, eorum,  
qui familiam seu paucos homines regunt;  
Politicus, eorum, qui civitates, seu mag-  
nam hominum multitudinem directioni  
D S suæ

suæ creditam habent. Hi rursus tres status in duplicem ordinem distinguuntur; Sæcularē, eorum, quibus immediatus finis præpositus est felicitas naturalis, mediatus verò, ut per hanc supernaturalem felicitatem consequantur; & Religiosum, & Ecclesiasticum, cui immediatus finis est felicitas supernaturalis. Hinc fit, ut sex in Ecclesia status esse videamus. Tres Sæculares: Cælibum privatorum, Patrum-Familias, Principum. Tres religiosi, sive Ecclesiastici: Clericorum seu Religiosorum, Sacerdotum seu Parochorum, & Majorum Prælatorum sive Episcoporum. E qua classe te oporteat esse, non est tuum elige-

*Pf. 126.*

*v. 4.*

*1. Cor.*

*12. v. 4.*

*Et v. 15.*

re: Dei est creaturæ suæ finem præscribere, quia in ejus manu est, *Sicut sagitta in manu potentis*, quò ipse velit dirigenda. Exquirere ejus voluntatem, & cognitam sequi, tuum est. Sed vide, quid Paulus dicat. *Divisiones, inquit, gratiarum sunt: nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Propheta? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes gratiam habent curationum? amulamini autem charismata meliora.* Hoc tuum est, ut ad perfectiora semper adspires. Si potes Virginitatem se-

Statis

stari, cur te eâ gloriâ fraudari velis uxore  
ducendâ? si ad sequenda consilia non de-  
est, neque opportunitas, neque facultas,  
cur deest voluntas? Non omnes quidem  
capiunt verbum hoc, sed quibus datum est  
à Patre: sed tu, si capis, si intelligis, cur  
non putes, id tibi datum à Patre, & ideo  
datum, ut eô uteris, ut vitam tuam huic  
lumini conformares? Ergo licet nullus  
Ecclesiæ status sit rejiciendus, licet ut hunc  
potius, quàm illum amplectatur, sit nemo  
cogendus, is tamen status tibi semper vi-  
deri debet tutior, is tibi à Deo oblatus,  
qui Domini Passioni conformior, ac simi-  
lior esse videatur. Apostolos tamen in  
consilium adhibe: sed super omnia Jesum  
audi loquentem; audies autem, si tacue-  
ris, si à strepitu rerum humanarum ali-  
quandiu te ad cor tuum receperis. Deni-  
que si tua tibi salus cordi erit, si vitam vel  
lucrari, vel temerè perdere, aliquid tuâ in-  
teresse credes, nihil habebis antiquius,  
quàm ut te ad Spiritualia exercitia ritè pe-  
ragenda per aliquot dies recipias, quæ  
Jesus ipse, quem sequi cupis, per servum  
suum Ignatium Loyolam conscribi, &  
ordi-

ordinari voluit: si enim quis est divinã voluntatem intelligendi, ac vitæ statum rectè & consultò eligendi modus, is est: ita à Deo, quod genus vitæ ipse à te requirat, intelliges.

## CAPUT VII.

*Vitæ bene instituta Daemonum & hominum insectationes omnes profuturas.*

*Matth.  
26. v. 3.*

**T**unc congregati sunt Principes Sacerdotum & Seniores populi in atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, & consilium fecerunt, ut Jesum dolò tenerent, & occiderent &c. usque ad illud: & exinde querebat opportunitatem, ut traderet eum. Duo his Evangelistæ verbis docemur. Primum est, ab ipsis vitæ bene institutæ exordijs insectationes nobis non defuturas, easque diversas & graves. Alterum, eas insectationes non modò nihil damni illaturas, sed consilijs nostris plurimùm profuturas. Hæc à nobis intelligi vel maximè interest, tum ne miremur, néve tanquam insolita, & inexpe-

inexpectata patiamur, animis decidamus;  
 tum ut, ea nobis commoda & utilia fore  
 certò scientes, etiam libenter excipere &  
 optare discamus. Nullum enim genus  
 hostium ferme est, quod initijs vitæ bene  
 institutæ adversari soleat, quod hîc non  
 exprimat. Ita fert mundi hujus misera  
 conditio, ut, statim atque aliquis vitam in  
 melius commutare incipit, exurgant in  
 illum, quotquot alterius sententiæ sunt,  
 domestici, amici, conterranei, exteri, ad-  
 versarij, principes, &, qui in omnibus  
 agunt & loquuntur, auctores totius fabu-  
 læ Dæmones. Ecce hîc primùm Hiero-  
 solymis concilium initur, ad quod utrius-  
 que ordinis Ecclesiastici & sæcularis pri-  
 mores conveniunt, quorum plerisque  
 prodigia, ac virtutes Domini ignotæ non  
 erant: aderant Scribæ ejus ætatis litterati,  
 ac Jurisconsulti, & hi quidem atrociam  
 consilia inibant doli & necis: altera ex  
 parte, *Cùm esset Jesus in domo Simonis*  
*Leprosi, & Magdalena alabastrum un-*  
*guenti pretiosi effudisset super caput ipsius*  
*recumbentis, indignati sunt Apostolo-*  
*rum quidam, & murmur exortum est:*

*Ut quid perditio hæc ?* postremò ex ip[s]is  
 unus Iudas abiit ad Principes Sacerdotum,  
 & pactus pecuniam promisit parricidi-  
 um. Quorsum hæc simul omnia Matthæ-  
 us enumerat ? Quorsum inchoatam nar-  
 rationem præparationis ad festum Pascha-  
 le celebrandum abrumpens, hæc interji-  
 cit, & sic ad inceptum redit ? Nempe ut  
 intelligamus, hæc omnia nobis, simul at-  
 que consilium vitæ bene instituendæ su-  
 sceperimus, eventura. Tunc, inquit, ac-  
 si indicare voluisset, illo ip[s]o momento,  
 quo tu incipies, de vita ex Christi Domini  
 imitatione formanda cogitare, cœpturos  
 adversarios de tua pernicie serium inire  
 consilium, & alios dolò, alios calumni-  
 is, alios irrisionibus, quosdam apertò o-  
 diò, alios amore simulato, nonnullos de-  
 tecta improbitate, complures religionis  
 obtentu, bellum tibi indicturos. Erunt,  
 qui te ambitionis accersent, quòd sancti-  
 tate simulanda aliquid vel gloriolæ, vel  
 dignitatis affectes. Erunt, qui occulta  
 consilia sub hac vitæ quietioris specie men-  
 tientur agitari. Erunt, qui ad sacra tribu-  
 nalia deferendum censebunt, velut arcana  
 alicujus

alicujus erroris improbum molitorem,  
Erunt, qui expectata opportunitate, ut  
Iudas, tuæ pietati insidias struent, & te, alia  
omnia cogitantem & curis sanctioribus  
intentum, ex improvise in magnum ali-  
quod discrimen adducent. Erunt, qui tua  
verba captabunt, quæ adornata menda-  
cij in occasionem invidiæ, aut in crimi-  
nis suspicionem trahent. Erunt, qui Rei-  
publicæ non expedire jactabunt, homines  
tui similes pati in hoc vitæ genus abstrahi,  
publicis opportunitatibus se subducere,  
familiarum nobilium prosapias extinguere,  
senatum & ordinem equestrem, immi-  
nui, militiam deserere, Principum obsequi-  
um derelinqui. Quidam mitiores id  
tantum cum Apostolis dicent; Ut quid  
perditio hæc? tale ingenium, tanta indo-  
les, tanta nobilitas, quorsum intra unius  
cæ nobis septa claudatur? Nonne hîc com-  
modius inter tuos versans Reipublicæ pro-  
desse potuisses? Quot pauperum inopiam,  
quot pupillorum orbitatem, quot mise-  
rorum innocentiam tueri tibi facile fuisset,  
in curia in, foro, in aulâ agenti? Nunc ab-  
jecto animo, deposita, quæ te deceret,  
alacri



2. Tim. 3  
v. 12.

alacri gloriæ cupiditate, quò fiesignavior,  
atque ineptior, eò te putabis esse melio-  
rem. Hæ atque his affines adversariorum  
insectationes erunt, à quibus nemo te  
præstabit immunem, nam *omnes, qui vo-  
lunt piè vivere in Christo Jesu, persecu-  
tionem patientur.* Sed, ne his deterreat,  
primum omnium illud in mentem veni-  
at, diabolum esse totius hujus insectatio-  
nis auctorem; Ille enim est, qui ingressus  
in Judam proditionem instruxit; ille, qui  
Principum populi, ac Sacerdotum profa-  
num concilium vocavit. Diaboli autem  
aut vires, aut fraudes cur timeas, cum  
scias, eum à Christo, quem sequeris, esse  
superatum? Christum sequere, qui *tra-  
duxit principatus & potestates, palam  
triumphans illos in semetipso.* Quid me-  
tuas captivum & vinctum, quem ne  
solutum quidem & integrum timere sub  
Christo duce militans debuisses? Victus est  
fortis armatus, & omnia vasa ejus ablata  
sunt, in quibus confidebat. Illud potius  
cani edentulo & catenato, quos mordere  
non potest, allatranti. Quòd si diabolum  
non times, sequitur, ut ne mundum qui-  
dem

LUC. II,  
v. 22.

dem, qui diaboli servus est, metuas. Sed & hic victus à Christo est: *Confidite*, inquit, *filioli, ego vici mundum*. Magnam sanè & gravem sancto Custodi nostro irrogamus injuriam, si eo comite instructi diabolum timemus, tanquam plus ad nocendum aut calliditatis, aut virium latro ille, jam in Domini cruce confixus, habiturus esset, quàm sapientiæ ad providendum, potentia ad opem ferendam hic cælestis militiae strenuus heros, Deique in te regendo ac tuendo designatus administer. Ne dubita: *Immittet*, hoc est, ut hoc loco Græca vox habet, *castrametabitur Angelus Domini in circuitu timentium Deum*. In uno Angelo exercitum habes, quem omnibus portis inferorum fidenter opponas. Uni Angelo tot centena millia hominum, quot sub Mose per Arabiae deserta iter agebant, fuere commissa. Uni Angelo amplissimi cælorum orbis, & vasta creduntur elementa. Quid dubitas? uni Angelo credita anima una: non est ita dæmon peculiaris singulis attributus, sicut Angelus est cuique decretus. Hic, quem tu præsidem ac ducem

Ioan. 16.  
v. 33.

Psal. 33.  
v. 8.

E

cem

cem vitæ tuæ habes, te unum in tota re-  
 rum Universitate curat: & metuis, ne, qui  
 te in fidem suam accepit à Deo, vel pro-  
 dat, vel negligat, vel relinquat? Quam-  
 quam tibi major in Domino Angelorum  
 quàm in Angelis est habenda fiducia: pos-  
 steaquam enim serio consilio, & matura  
 deliberatione decreveris, hanc Dei volun-  
 tatem esse, & hoc ipsum à te requirere (in  
 quo, si ex animo & sincerè agas, nun-  
 quam te bonitas ejus & providentia falli,  
 aut errare patietur) elato ac fidenti animo  
 esse te oportet, tanquam qui non tuâ, sed  
 ipsius voluntate ducaris, ac proinde non  
 tuam, sed ipsius rem agas. Quis est, qui ad  
 negotia quamquam ardua peragenda mis-  
 sus à Rege, dum in ejus ditione versatur,  
 ullius è subditis potentiam reformidet?  
 quantò minùs verò è captivis, & capite  
 damnatis aliquem timebit? Deum seque-  
 ris, bonò animò esto; omne consilium e-  
 jus stabit, & omnis voluntas ejus fiet. Jus-  
 sus à Benedicto Maurus, per aquas siccis  
 vestigijs ambulavit; tu jussus à Deo, ti-  
 mes, ne inter hæc adverfa mergaris? For-  
 tè mergèris, si times. Nam hoc Petrus  
 exper-

expertus est, qui, quamdiu intrepidus ad  
 Dominum vocantem perrexit, solidum  
 in aquis solum expertus est: cum primum  
 fluctuavit animo, non maris vitio, sed  
 animi sui cepit inconstantiam naufragari.  
 Duo igitur tibi firma sint in omni adver-  
 sitate praesidia. Primum, ut cogites, mini-  
 me tuam hanc rem, sed Dei esse, Dei te  
 iussa fecisse, cujus nec potentiae quisquam  
 obsistere, nec sapientiae possit illudere.  
 Domum te non super arenam humana-  
 rum cogitationum, quam aut perturba-  
 tionum fluctus illidit, aut opinionum fla-  
 bra diripiunt, sed super firmam petram  
 aedificasse caelestis imperij; posse in eam  
 flumina humanae insectationis irruere,  
 posse fulmina potentioris alicujus indig-  
 nationis incidere, posse ventos aerearum  
 potestatum omnem vim suam effundere,  
 illam interea immobilem ac firmam con-  
 stitutam: *fundata enim est super pe-*  
*tram.* Id quoque timendum non esse, ne  
 Deum consilij sui paeniteat, aut, quod ho-  
 mines solent, victus adversariorum im-  
 portunitate, cedendum ac remittendum  
 putet. Immutabilis est, ne animo nutet.

Matth.  
7. v. 25.

*Psa. 90. v. 9.* Invictus est ne viribus collabascas. *Altissimum posuisti refugium tuum*: cum eo tua consilia conjunxisti, cujus neque fides fallere, neque res labare, neque potestas possit ulla adversitate deficere. Alterum, quod te confirmabit, ac muniet adversus omnem insectationum impetum, illud erit, omnia demum tibi ex voluntate casura: tum quia tua voluntas ejus est, cujus voluntati nemo potest resistere, tum quia hæc ipsa adversa pati, præter id, quod tu cupis, non est. Christum sequenti, & crucem ferenti, quicquid adversi accidat, etsi eo repugnante fiat, non fiet invito. In id enim auctoratus es, postquam huic Crucigerorum militiæ nomen dedisti. In id obstrictus es propositi fide, addictus obsequii professione, ut nihil eorum, quæ Dominus pertulit, ferre detrectes, & quod plura patiaris, eò te Salvatori ac Duci tuo similiorem, & proinde feliciorum ac beatiorum putes. Denique cunctis in rebus, ut viri prudentes solent, exitum inventure. Quid tandem adversarius ea insectatione proficiet? *Sufferentiam Job audisti, & finem Domini vidisti? Congregasti*

*Jacob. 5. v. 11.* *stis, & finem Domini vidisti? Congregasti*

*ti sunt Principes Sacerdotum, & Seniores  
 populi, & consilium fecerunt. Quid tan-  
 dem eò consiliò decretum est, nisi quod  
 ipse Dominus ab omni æternitate decreve-  
 rat? Convenerunt, inquit in actis B. Pe- Act. 4.  
 trus, Herodes & Pontius Pilatus, cum v. 27.  
 Gentibus & populis Israel, facere, quæ  
 manus tua & consilium tuum decreve-  
 runt fieri. Videtis, ut nihil aliud adver-  
 sariorum conspirationes faciant, quàm  
 ut, quæ à Deo decreta sunt, exequantur?  
 Abijt diabolus ad Judam, Judas ad Prin-  
 cipes Sacerdotum, & pactus est: Quid Matth.  
 vultis mihi dare, & ego eum vobis tra- 26. v. 15  
 dam? Scilicet hoc Pater antè decreverat, Ioan. 3.  
 qui Sic dilexit mundum, ut Filium suum v. 16:  
 unigenitum daret: & proprio Filio suo Rom. 8.  
 non pepercit, sed pro nobis omnibus tra- v. 32.  
 didit illum. Tàmque hoc verum est, ut id  
 quoque sit certissimum, neque Satanam,  
 neque Judæos unquam Christo necem il-  
 laturus fuisse, si scirent, Ipsum hoc velle,  
 hoc Deum ad summam ipsius gloriam de-  
 stinasse. Congregati sunt Principes Sacer- Psa. 67.  
 dotum & Seniores populi. Verè Congre- v. 31.  
 gatio taurorum in vaccis populorum. Sed Psal. 21.  
 v. 13.  
 E 3 quid*

quid hi *tauri pingues* in Christum irruentes effecerunt, nisi, quòd eum suis cornibus extulerunt, ut *elevatus à terra, omnia traheret ad se ipsum?* ac demum ipsi ut victimæ Domini suæ invidiæ incendiò conflagrarent. *Congregati sunt in atrium*, inquit, cur non in aulam, in conclave interius ascenderunt? an quia profanum concilium erat in atrio inter medianos turbamque famularem plebis arbitrio regendum? an potius, ut intelligeremus, impiorum consilia agi sub dio & aperto cælo, nec proinde Deum latere? Quid autem consulebant? *Ut Jesum dolò tenerent.* Quàm bona res est Jesus, quem & ipsi tenere volunt: quis enim Sapiéntiam, quis Virtutem habere non cupiat? Sed ipsi hunc dolò cupiunt habere, cui tu vis benevolentiam & caritate conjungi. Ipsi, ut necent, ut extinguant, ut perdant, quærunt: tu, ut serves, & serveris. Sed illorum manibus mori debebat, ut tibi viveret; ab illis dolò teneri, ut in tuos veniret amplexus: ergo ea semper adversarij nostri faciunt, quæ nobis profunt, nihilque ab ipsis nocendi studiò suscipitur, quod

quod non in nostram vertat utilitatem providentia Conditoris. Ecce altera Magdalenæ infectatio, tantò molestior, quantò inter viros Sanctiores orta, quid fecit? Ut jussu Domini ejus beneficentia prædicetur, ubicumque in universo mundo evangelium nunciatur. Optanda igitur hæc sunt odia, non timenda.

## CAPUT VIII.

*Institutum bonæ vitæ magnò animò esse capessendum.*

**P**rima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: *Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? At Jesus dixit: Ite in civitatem ad quendam, & dicite ei: Magister dicit: tempus meum propè est, apud te facio Pascha cum discipulis meis.* Posteaquam & Vitæ suscipiendæ ratio constitit, & repulsus est metus, qui à dæmonum & hominum oppugnationibus nascebatur, superest, ut rem ipsam magnò animò aggrediamur. In quo ad totius vitæ profectum Sancti viri tantum momenti ponunt, ut prodigiola

Matthæ:  
26.v.17.



giosa illa magnorum Christianæ Religionis Heroum incrementa eò plerumque referantur, quòd semel ita se Deo tradiderint, ut ad quamvis alta & sublimia, si vellet, eum vocantem sequi non recusarent. Apparuit hic animus in Apostolis, qui vocati, relictis omnibus secuti sunt eum, ut intelligamus, eos, qui nullo discrimine omnia relinquebant, ab ipsius nutu & benevolentia sibi omnia promississe. Apparuit in Magdalena, quæ cum primùm ex tot peccatis emerfit, non sensim in amore crevit, sed statim *dilexit multum*, & plus Domino primo occursum detulit obsequij, quàm longo tempore cum eo versati veteres amici detulissent. Apparuit in Paulo, qui vocatus è coelo vocem illam infinitæ cujusdam obedientiæ indicem protulit: *Domine, quid me vis facere?* ad omnia se promptè alacritèque facienda offerens ideo, quòd sciret, se cum eo loqui, à quo cum imperio potestatem quoque omnem habere posset id exequendi. Et, ut verbò concludamus, à Deo per Davidem dictum est: *dilata os tuum, & implebo illud.* Hoc est, quantò nos

Luca. 7.  
v. 47.

Acto. 9.  
v. 3.

Psal. 80.  
v. 12.

nos latius cordis nostri angustias laxaverimus, tantò Deum in nos sua dona uberius & largius effusurum. *Si potes credere, Mar. 9. v. 23.* inquit, *omnia possible sunt credenti.* Sed hæc melius ipsa Dominicæ Passionis enarratio nos docebit. *Prima die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Cùm primùm Deo feriari anima incipit, & rejectò fermentò malitiæ & nequitiae in azymis sinceritatis & veritatis epulari, prima die (non enim procrastinandum est) Deo se sistat, ac magnò animò se illi offerat, ut, quocumque loco, quocumque apparatu excipi à sua creatura velit, eum non recuset excipere. *Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Quid est, quod dicitis, pauperes, vagi, piscatores? *Ubi vis?* Ergo omnium ædium vos Domini estis? ergo ubique vos Christo convivium instruere poteritis? Poterimus, inquit, modò ipse mandaverit. Jubeat sibi in Pilati Prætorio instrui epulum, fiet; jubeat in Herodis Regia, non morabimur; Jubeat vel in Tiberij Cæsaris triclinijs, instituetur: à Domino universorum non est

I. Cor. 5.  
v. 8.

E s

peten-

petendum, nisi quid velit. Benedictum cor, in quod tam sublimis, & Deo digna ascendit cogitatio. Benedictum os, quod Deo digna novit lingua loqui. At nescio quis nostrum, primum inopiae suae memor, Christo Domino se non obtulisset: deinde rationibus cum sua indigentia superputatis timidè atque hæsitanter more avari hospitis invitasset. Domine, si vis prandium tibi à me instrui, meminisse debes, nihil mihi præter illud tuguriolum esse: illic cibario pane, mensa vili, vilioribus ferculis uteris, si voles: cæterum, quod non valeo, id à me non exiges. Rustice, ignare quo cum loquaris, an, si veditissimus esses, tuis opibus egere Deum putares? Abjice istas curas, rejice sollicitudinem hanc ab te in ipsum, qui, quod iusserit, præstabit, ut possis. *Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet, & sibi apud te convivium apparabit.* Dic ubi vis? nam poteris parare mensam in deserto, qui tot millia hominum in solitudine modico pane pavisti, & septem ac duodecim ex eo sportas reliquiarum plenas dedisti, ut ex indigentia & fame præ-

*Psa. 54.  
v. 23.*

ter

ter satietatem etiam lucrum referrent. Ubi vis, Domine? ubi vis paremus tibi comedere Pascha? Ubi vis te excipiam? in cænobio, an in collegio, an in templo? quod tibi eligis in me palatium? quam tibi in me regiam fabricaris? Imperium enim tuum obsequia nostra prævertat, & justæ fieri res ipsæ antè gestient prosilire, quàm nos eas proferre conemur. O illos beatos, qui cum Deo dignis vocibus ac sensibus animi agunt! Nunquam enim non eorum amplæ expectationi divina largitas respondebit. Ecce hîc Apostolorum fiduciam Dominus approbans, & confirmans: *Ite, inquit, in civitatem ad quendam, & dicite ei: Magister dicit.* O voces, alij quàm Deo ineptas, ac temeritatis arguendas! *Ite, inquit, ad quendam. Quem? non exprimis? non designas?* Perinde est, inquit, quemcumque in via offenderitis, meus est. Sic in ampla domo & copiosa familia potentes domini solent, non certum aliquem evocare servorum, sed aliquem jubere, illuc mitti, aliquem hoc illudve curare, nimirum certi, nunquam, qui eorum capeffat imperium,

perium, in tanta domesticorum copiâ defuturum. *Dicite ei: Magister dicit.* Ecce aliud magnanimæ fiducia argumentum. Non timebat Christus, ne, qui hoc audisset, ambigeret, quis ex tot Legis magistris, ac doctoribus id juberet, ne fortè se à Gamaliele nuncium putaret accipere, aut à Nicodemo, qui & ipse erat Doctor in Israel. Jam prædixerat, se Magistrum unum esse; & licèt multi magistri vocarentur, tamen cùm ipse vellet, facturum, ut, quos ipse doceret, agnoscerent vocem ejus, & scirent, nullum in terris esse alium præter se summum omnium Magistrum. Quis non ad hunc audiendum magnò animò accedat, qui multò veriùs, quàm antiquus, nescio, quis in Italia Pythagoras eam apud omnes auctoritatem obtineat, ut eum dixisse sit satis? Ipse dixit: *Magister dicit. Tempus meum propè est, apud te facio Pascha cum discipulis meis.* Hæc verò verba existimet unusquisque sibi dicta. Quicumque es, qui Petro, Joanni occurris, ad quem à Deo missi, sive exterius Apostoli, sive interiùs Sanctæ cogitationes veniunt: Christus dicit:

*Ioann. 3.*

*v. 10.*

*Matth.*

*23. v. 10.*

dicit: *Tempus meum propè est. Satis ha-*  
*ctenus mundo vixisti, hoc, quod tibi reli-*  
*quum est temporis, meum est. Laxa cor-*  
*dis angustias, hospes Dei futurus. Ego (&*  
*quia ego in Patre & Pater in me est)*  
*Pater quoque (& quia* *hæc Tria Unum*  
*sunt) Spiritus quoque Sanctus, ad te ve-*  
*niemus, & mansionem apud te faciemus:*  
*neque nos tantum, sed omnes mecum*  
*Apostolos ducam. Impleberis divinis mu-*  
*neribus, Sanctorum in te Spiritus transi-*  
*bit. Marcus adjungit, eum, ad quem*  
*sunt missi, servum fuisse, qui lagenam a-*  
*quæ bajularet. Hic servus est calamitas*  
*illa, infortunium illud, quò tu doceris,*  
*Deo te obsequentem ac paratum exhibe-*  
*re: qui, dum tibi plenam hydriam lacri-*  
*marum affert, ob filij mortem, ob con-*  
*jugis, ob dignitatis, ob rei familiaris a-*  
*missionem, simul cum ea lætum & fau-*  
*stum affert nuncium, te à Deo ad sacrum*  
*aliquem religiosorum ordinem, aut cer-*  
*tè ad vitam sanctiùs instituendam vocari.*  
*Pergit idem Marcus: & ipse vobis demon-*  
*strabit cenaculum grande stratum: & il-*  
*lic parate nobis. Audis, quale Dominus*  
 requi-

Ioan. 14

v. 10.

I. Ioa. 5.

v. 5.

Ioa. 14.

v. 23.

requirat hospitium. Cænacula in summis  
 ædibus erant, quod & Græca vox hoc lo-  
 co significat, in qua habetur ὑπερωρον. Su-  
 blimem oportet esse animum, grandem,  
 amplum, lucidum, ornatum, & præci-  
 puè solò seu pavementò solidò, firmâ in  
 bene constitutis constantiâ stabilem. Hu-  
 miles, abjectos, angustos, pusillos animos  
 Christus non amat. Sed neque illud my-  
 sterio vacat, quod ait Marcus: *Dicite Do-  
 mino domûs*: & Lucas: *dicite Patrifami-  
 lias*. Nam fortè ideo tu ejusmodi hospiti-  
 um Christo minimè paras, quia vel nullus  
 domi tuæ Dominus, ac Paterfamilias est,  
 vel foris vagatur in compitis, dum Apo-  
 stoli fores pulsant. Redire ergo illum ad  
 sua oportet: necesse est, voluntatem tuam  
 atque rationem sibi constare, ac cæteris  
 omnibus animæ affectionibus imperare,  
 & ita nunciò Christi advenientis auditò  
 cænaculum illud instruere. Nemo est, qui  
 inopiam causare possit. Nemo, qui do-  
 mûs suæ angustias excusare. Tam laxum  
 amplumque animum habemus, quàm vo-  
 lumus. Tantum autem velle debemus,  
 quantum hospes Deus requirit.

## CAPUT IX.

*A perfecta purgatione peccatorum per Confessionem initium esse faciendum.*

**C**œnâ factâ, cum diabolus jam misisset Ioan. 13.  
v. 2.  
 in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariota, sciens, quia omnia dedit ei pater in manus, & quia à Deo exiit, & ad Deum vadit, surgit à cœna, & ponit vestimenta sua, & cum accepisset linteam, precinxit se: deinde mittit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo, quò erat precinctus, &c. Nihil adhuc nisi votis, ac propositis egimus. Ad ipsam rem series Evangelicæ narrationis ex Joanne desumpta nos ducit. Ante omnia animus confessione purgandus est, quam significat pedum lotio, quâ Dominus discipulos suos ad ritè suscipiendum Eucharistiæ Sacramentum dignatus est præparare. Nemo enim illotis pedibus Christum sequitur. Cum ergo hic perficiendæ vitæ primus sit gradus, magni refert, eum firmiter collo-

collo-



collocare : quod , ut faciamus , tria nobis  
 præsens locus offert admonenda. Primum  
 est necessitas hujus purgationis . Secun-  
 dum , quid nobis sit expurgandum . Terti-  
 um , quò pactò . Ac necessitas quidem ijs  
 verbis constat : *Nisi laverò te , non habe-*  
*bis partem mecum.* Nam neque in super-  
 nam illam Hierusalem coinquinatum  
 cor intrabit , neque ad consortium San-  
 ctorum , qui , dum in terris sunt corpore ,  
 animò conversantur in cælis , admittetur  
 quispiam , qui sordibus peccatorum adhuc  
 sit adsersus . Quis autem nos eluere , ac  
 purgare alius poterit , quàm Christus Do-  
 minus ? *Lava me ab iniquitate mea , &*  
*à peccato meo munda me ,* aiebat Regius  
 Propheta , *quoniam iniquitatem meam*  
*ego cognosco.* Nosse me sordidum , agno-  
 scere me inquinatum possum , eluere me  
 ipse non possum . Lepra Naamanis nullis  
 Babylonix aquis emundari potest . Nec  
 satis est , cum Pilato abluere *manus co-*  
*ram populo ;* hæret enim in corde macula .  
*Nisi tu dederis aquam mundam , nun-*  
*quam mundabimur ab omnibus inquin-*  
*mentis nostris.* Nec otiosè prætereun-

Ioan. 13.  
v. 8.

Psa. 50.  
v. 4.

4. Reg.  
6. v. 11.

Matt. 2.  
v. 24.

dam ist illud dictum : *non habebis partem mecum*. Sunt enim fortè, qui, cum aliquod in arcanis crimen habeant, quod tegunt, quod recondunt, quod Deum quoque vellent latere, si posset, nihilominus ita de rebus sacris, deque virtute, ac vitâ Christianâ loquuntur, ac si & ipsi de discipulorum numero essent : existimant enim, unius culpæ conscientiam, si de reliquo bene vivatur, perfectioni quidem obesse virtutis, cæterum minimè obstare, quin Christum sequi, & in ejus scholâ & comitatu esse dicantur. Adversus hos Christi sententia est, nullam eos partem cum ipso habituros, quos ipse non laverit; quos autem Christus laverit, ijs nihil maculæ restat, nihil sordidum. Sed jam, quid sit nobis abluendum, ex eodem loco, quæ altera pars erat indicata, dicamus. Ac Petrus quidem metuens, ne excluderetur à Domini comitatu, tamquam sordibus, *Domine*, aiebat, *non tantum pedes, sed & manus, & caput*, cui Dominus. *Qui lotus est*, inquit, *non indiget, nisi ut pedes lavet*. Quid hoc sibi vult? aut cur putemus, Apostolos, antequam cœnæ ac-

F

cum-

cumberent, caput potius lavisse, quam pedes: cum de capite abluendo nihil sacræ litteræ dicant, de pedibus Dominus ipse cum illiberali hospite conqueratur: *Intra-*  
*Lucæ 7.* *v. 44.* *vi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti.* Iterum hæc allegoricè dicta esse, non possumus ambigere, cum paulò post addatur: *Et vos mundi estis, sed non omnes:* quod de Juda dictum Joannes interpretatur. Ergo allegoriam secuti dicemus, tria in nobis esse abluenda, Caput, Manus, Pedes. Caput Intentionis, Manus Operum, Pedes Affectuum. Ac Pharisæi quidem tantùm de Manibus abluendis solliciti erant: hinc tanta eorum querela, quòd Apostoli non lavarent manus, mensæ accubituri: nam non nisi externis legis operibus vacabant. Denique cum Christum voluntate atque affectu occiderent, agebant: *Munda sunt manus nostræ, nobis non licet interficere quemquam.* At Christus Dominus caput maxime ablui, ut pura sit mentis intentio, nec tantùm ablui, sed unguentis imbui, ac perungi, ut Christum oleat: deinde manus quoque mundas esse; quam ob causam ad manus Sacerdotum abluendas

vas constitutum erat, quod mare æneum dicebatur, in cuius orâ disposita erant specula, ut, qui eò se conferret, dum manus lavaret, etiam caput, an mundum & omnis expers labis esset, intueretur. At qui lotus est, inquit Dominus, non indiget, nisi ut pedes lavet: nam post crimina operis, & intentionis abluta, superest, ut sordidi perpurgentur affectus, quos pedum nomine sacræ litteræ sæpe compellant. Apostoli quidem, quoniam Christum sequebantur, nec intentionis, nec operis ullum crimen residuum habebant, supererant tamen ex consuetudine humana, vel ex ambulatione contractæ sordes à Domino eluendæ. At Petrus, qui ab initio se peccatorem erat professus, nondum se caput ac manus omnino puras mundâsque habere credebat. Disce hinc de te abjectè sentire; disce cum Petro Dominum rogare, ut & caput tibi intentionis, & manus operis, & pedes affectuum purgare dignetur: et cave, tuorum criminum memoriâ deterrearis à sectandis Christi vestigijs, dicâsque cum Petro, antequam Petrus esset, & ex Christo, cui firmiter adhæsit,

*Luc. 5.  
v. 9.*

petræ nomen habuisset: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Quin potius cum eodem jam sapientiore, jam Præsidente Apostolorum & Capite dicit: quidvis Domine sit potius, quàm ut à te abjungar; quidvis potius, quàm ut partem in te non habeam, cum sis pars hæreditatis meæ, idémque fors, & caput, & summa spei meæ. Potius igitur abluere dignare me supplicem, quàm rejicere sordidum.

*Hebr. 1.  
v. 3.*

Venisti, purgationem delictorum facere; habes in me, quod quæsiturus è cælo descendisti. Verùm quia Dominus jam surrexit è carnâ æternæ illius felicitatis, deposuit vestimenta gloriæ suæ, succinxit se linteo carnis humanæ, quam candidissimam suscepit ex Virgine; misit aquam mundam Sanguinis sui in pelvim æneam sacerdotalis eloquij, dum Sacramentum Pænitiæ in Ecclesia instituit, & genuflexus ante nos paratus est pedes nobis abluere: quid cessamus exuere calceos, id est emortuarum pecudum integumenta deponere, & pedes affectuum nostrorum ei denudare, ut eos purget ac mundet? Hæc nos contemplatio docet, non modò commissa

missa peccata, animi instituta atque consilia nostra esse in Sacramento poenitentiae detegenda, sed affectiones etiam nostras ac propensiones, licet enim haec peccata non sint, in qua proprie vis absolutionis, ac virtus Sacramenti cadit; sordes tamen sunt, à quibus nos Dominus, si cum demissione & humilitate exoretur, abluere ac purgare dignabitur. Sed eadem rursus contemplatio aliter instituta nos etiam commodius docebit, sacram exomologesim facere. Nam quia Dominus dixit, exemplum se nobis dedisse, ut, quod ipse fecisset, hoc nos deinde faceremus, apparet, imitandum esse nobis Exomologesim facientibus Salvatorem, id mysterium peragentem. Tres partes Sacramenti Poenitentiae sunt: Contritio, Confessio, Satisfactio. Contritionis suscipiendae documentum si quaeris, ecce, id habes in verbis Evangelistae: *Cæna facta*: hæc cæna postrema Christo fuit. Claude tu quoque cænas, & confessiones tuas, finem impone delicijs, nuncjum remitte lasciviae. Cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ, sciens, quia omnia de-

dit Ei Pater in manus, & quia à Deo exi-  
vit, & ad Deum vadit. Duo recogitavit  
Christus: primùm Judæ peccatum, ac dæ-  
monis in eo fallendo seducendóque a-  
ctum. Tum suam cum Deo Patre Volun-  
tatis atque Essentiæ communionem. Duo  
tibi quoque sunt cogitanda, ut actum con-  
tritionis absolvas: Peccatum, Dæmon, à  
quibus recedas, quibus abrenuncies, quæ  
detesteris: Deus, ad quem convertaris,  
quem ames, cui ita cohæreas, ut ab eo nun-  
quam sejungâre. Memineris, diabolum ti-  
bi quoque misisse in cor, ut hæc peccata  
committeres, ac proinde commissa exse-  
crare, abominare, exhorresce non minùs,  
quàm ipsum illud stygium monstrum,  
quo suasore & auctore patrâsti. Memine-  
ris altera ex parte, Deum tibi omnia quo-  
dammodo in manibus dedisse, dum te ho-  
minem fecit, de quo dictum est: *omnia sub-  
jecisti sub pedibus ejus*, dùmque te ipsum,  
qui parvus es mundus, in manu consilij tui  
posuit, quódque plus est, se suúmque Fili-  
um, ejúsque Sanguinem ac merita tibi tra-  
didit, ut eis uterere pro arbitrio. Postre-  
mò memineris, te à Deo exisse, cùm ejus  
opus & creatura sis, & ad Deum tendere,  
cùm

*Psa. 8.  
v. 7.*

cùm non alius tibi sit finis propositus: id tecum ipse versans, & quantum inde aberraveris, unde exísti, quàm longè ab eo te averteris; convertere tandem ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo. Hactenus Contritio. Nunc de Confessione verba, quæ sequuntur, accipies. Multa debet habere Confessio; nam & solers ac diligens esse debet, & aperta, ac nuda, & humilis, & fortis, & lugubris, & attenta, & integra. Cerne Dominum, omnia ista tibi exhibentem. *Surgit à cena*, inquit, res est seria confiteri. *Surge à mensis*, abstine à poculis, sobrium hominem requirit hoc opus: *Fac, quod dico, fili mi*, inquit Salomon, cum eo loquens, qui velit fidem suam alteri obstructam repignerare, & nos ijs verbis utemur pro eo, qui animam suam velut pignori datam dæmoni recuperare contendat: *Discurre, festina, suscita amicum tuum*, id est, te ipsum, tuumque animum sopitum: *ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebrae tuae. Ervere quasi damula de manu, & quasi avis de manu aucupis*: regredere per omnes vitæ tuæ cursus, relege vestigia

Prov. 6.  
v. 3.



viarum tuarum, repete quascumque sedes incoluisti, quæcumque latibula cogitationum tuarum, dum à Deo profugus vagaris. habuisti; pone ratioem cum anima tua, & vigili mente numerato, quicquid æris alieni cum Deo contraxisti. Sequitur: *Et ponit vestimenta sua.* En, demissio, en aperta & nuda simplicitas, ac sinceritas. Depone paludamentum Imperator, Trabeam Rex, purpuram Satrapa, Chlamydem miles, togam Senator. Omnes ante hoc tribunal pares stamus. Hæc una est iudiciaria sedes, in qua ille unus sedet auctoritate primaria, quia, quòd unus sit immunis à culpa, omnium unus est iudex. Exuere vestimentis gloriæ tuæ, & indue saccum ac cilicium, venturus ad Christum, reum te agniturus. Pone etiam omnia excusationum integumenta, pone velamina fraudum, fallaciarum pallia, æquivocationum diploides, hoc est, duplices amictus, ne pro confessione, quam paras, induaris, sicut diploide, confessione tua. Tunicatus, ut quondam Adam, ante iudicem stabis, & quia pallium, quo te obumbres, non habes, aperte & clarè loquêris. Sequitur: *Et præcinxit se:*  
Præ-

*Pf. 107.*

*v. 29.*

*Genes. 3.*

*v. 22.*

Præcingere & tu: *Accinge sicut vir lumbos tuos*, noli mihi esse sicut Evâ imbellis, quæ in patrando crimine tam audax fuit, ut vel Deum ipsum putaret se posse fallere, in confitendo tam fuit abiecta, ut diceret se à serpente deceptam. Nolo, muliebrem verecundiam post factum inutilem ac noxiam suscipias, quam opportunius fuisset antè suscipere; dic cum Davide viro strenuo & cordato, dic disertè, ac rotundè: *Peccavi*. Sequitur: *Misit aquam in pelvim*. Hoc jam superesset, ut lacrimarum uberem copiam profunderes; sed, si aret oculorum vena, si deest fletus capitis, non desit luctus cordis, non desint saltem suspiria. Postremò, quia Dominus neminem discipulorum omisit, cujus non ablueret pedes, nec Petrum repugnantem omisit, nec Judam, à quo abhorrebat ipse, præterijt; id nobis agendum est, ut nullum peccatum prætereamus, quod non expurgemus, non id, quod difficile memoriæ occurrit, ac velut lavari metuit, ac recusat, ut Petrus, neque id, quod tu attingere nolles, à quo abhorres, ut Christus Dominus abhorrebat à Juda; omnia ordine

Gen. 3.  
v. 13.

2. Rege.  
12. v. 30

F S

recen-

recense. Restat de Satisfactione dicere. Etiam partem Christus Dominus est visus indicare, dum paulò post Apostolis idem, quod ipse peregerat, opus demissionis & caritatis injunxit. Sed plenius uberiúsque nos docuit, pro peccatis pœnas sponte suscipere, dum statim addidit: *Non est servus major Dominò suò.* Ut profectò viderent ac discant servi, debere se pœnis sponte susceptis propria peccata luere, cum Dominus tot acerbis cruciatibus expiaret aliena.

## CAPUT X.

*Eucharistiam nobis à Domino relictam esse, hujus vite ad Passionis exemplar instituenda monumentum & robur.*

*Matth. 26, v. 26. C*œnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: accipite, & comedite: Hoc est corpus meum, &c. & ex  
*Luc. 22, v. 19. Luca: Hoc facite in meam commemorationem.* Expiatis confessione animis, & velut ex morte lethalis culpæ renatis, cibò opus

pus erat, quò robur acquirerent ad novæ vitæ institutum capessendum. Datur ergo Eucharistia, cujus duo sunt munera, duòque nobis præstat beneficia: alterum, quòd præteritæ Passionis est commemoratio, & gratiarum actio; alterum, quòd vitæ nostræ, ad illius exemplar institutæ, est robur & firmamentum. Et, quòd ad primum quidem attinet, necessarium erat nobis Dominicæ Passionis aliquod perenne monumentum: nam & omnium rerum immemores & obliviosi sumus homines, & maximè beneficiorum, quæ, qui dant, marmori inscribunt, qui accipiunt, aquis inculpunt. Nihil homini gravius onere accepti beneficij est, quod, quia ferre non potest, libenter aut ingrata abnegatione rejicit, aut saltem rustica oblivione deponit. Hoc verò Christi Domini in nos beneficium tantò magis periclitabatur oblivioni mandari, quantò erat & minùs tempore ac locò præsens, & gravius nobis onus afferebat. Quoties curæ occurrunt, quæ aliquod nobis impositum onus molesti operis commemorant, solemus eas à nobis longè agnitas rejicere. Vetus proverbium

verbum

verbum est, *Seria in crastinum, hodie vivamus.* Præterea cùm vita ad Passionis exemplar instituta à communi consuetudine tam longè abhorreat, quis unquam ejus inter hæc vitæ vulgaris exempla meminisset? Verùm quid potissimum institueret Dominus, quò nos sui beneficij, ac nostri officij semper admoneret? Nam quidquid illud esset, ejus quoque homini prompta esset oblivio. Omnium enim obliviscimur, etiam nostrî. Unum est, cujus oblivisci nos natura non patitur: cibus. Hunc enim quotidie sumimus, eâ nos stimulis non levibus excitante. Hoc ipsum igitur Domini Providentia Passionis suæ voluit esse monumentum, ut, quia sine cibo ullo die esse non possumus, ne sine hujus quidem saluberrimæ Passionis memoriâ esse possemus. In eo autem admirabilis, planèque divina se prodite ejus & virtus & sapientia, quòd hujus memoriæ nõ ad specimẽ tantum, sed re vera cibo huic inferendæ, inimitabilem viribus humanis & inexcogitabilem ingeniõ potuit invenire rationem. Quid enim habebat commune cum Christo cibus? quid simile Pas-

sioni

sioni panis & vinum? Imò quid tam dissimile Salvatori, quàm cibus, ex quo fuit nostræ perditionis exordium? & quid tam à Passione diversum, quàm comestio, cum hæc delicias habeat, illa cruciatus; hæc ordinetur ad vitam, illa ducat ad mortem? Deinde quo pacto, quæ semel peracta est actio, rursus peragi posset? Christò præsertim jam in cælum recepto, & omnis humanæ imbecillitatis experte? Verùm hæc aliâque omnia Dei sapientia, Dei potestas una superavit. Invenit modum sapientissima caritas, ut, quod Christo fuit durum pati, id esset nobis dulce meminisse. Reperit viam, quâ & semel mortuus semper viveret ad interpellandum pro nobis, & tamen quotidie pro nostra excitanda memoria mystica immolatione moreretur. Mysticam autem cum dico, non fictam, aut imaginariam tantum, sed veram, incruentam tamen, & omnis in Christo læsionis immunem. Etenim dum Sacerdos ita panem in Christi Corpus consecrat, ut ex vi eorû verborum Sanguis non veniat, itaque vicissim vinum in Sanguinem, ut ex eorum verborum vi Corpus non

non

non veniat, fit, ut in esse mystico seu Sacramentali, ut loquuntur Theologi, Sanguis separetur à Corpore: quod cum fit, sequentibus Sanguinē spiritibus, qui sunt vehiculum animæ, mors necesse est sequatur animantis; atque adeò quotidie ante oculos nostros incruentâ verâque immolatione Christus crucifigitur. Quid dicemus, qui Christi Passionis immemores sumus? Hoc jam pejus est & gravius: non enim id à nobis petitur, ut Passionis antiq̃uæ meminerimus, sed id exigitur, ne ab ea, quæ sub oculis nostris quotidie fit, oculos avertamus. Aspiciate in eum, quem confixistis, ingrati mortales. Ecce, ut oblitterati beneficij memoriã vobis redintegraret, nō veretur; id nobis quotidie nova immolatione renovare. *O insensati homines! quis vos fascinavit, ante quorum oculos Jesus Christus quotidie crucifigitur, ut ei spectaculo tam leviter attendatis? Imò etiam, ut, cum Sacrificio adestis, alia omnia præter ipsum sacrificium cogitetis. Quid faciet Christus, ut vos eò adducat aliquando, ut Passionis ipsius velitis subinde meminisse? Si rursus se tradens, rursum*

*Gal. 3.  
v. 1.*

sum immolari se permittens, & clamans  
 inter hæc, *Facite in meam commemora-*  
*tionem*, nec voce, nec factô ad tantæ rei  
 spectaculum excitare vos potest, qua tan-  
 dem arte, quâ viâ id impetrabit? Num ex-  
 pectas, ut tum demum Passionis Domini-  
 cæ recorderis, cùm in nubibus apparebit  
 signum filij hominis, & plangent omnes  
 tribus terræ? Neque id potuit divinæ satis  
 esse bonitati, ut memoriam nobis mirabi-  
 lium Passionis suæ in cibo recondere, per  
 sese grato ac suavi, quem ideo, rece-  
 dente substantiâ panis & vini, accidentia  
 voluit nuda retinere, ut appareret, eum  
 palato hominum illa servâsse, quin etiam  
 huic cibo adderet mirificam spiritualem  
 dulcedinem, & ut sacræ litteræ loquuntur,  
*omne delectamentum, & omnem saporem* Sap. 16.  
*suavitatis.* Quô simul ad id capiendum, v. 10.  
 & Passionis Domini mysteria sacra reco-  
 lenda, animi & corporis degustata jucundi-  
 tate, traheremur, ut, si minùs amore ipsius,  
 saltem nostræ suavitatis affectu, si minùs,  
 ut compateremur tam acerba patienti, sal-  
 tem ut ex ejus commemorandis cruciati-  
 bustanta animi jucunditate frueremur, ad  
 cibum



Sap. 16.  
v. 21.

cibum hunc sumendum alacres promptique accederemus, et vel hinc disceremus, non esse acerbam Domini Passionem ijs, quibus cælestia sapiunt, sed in ea panem vitæ esse, & substantiam dulcedinis Domini Salvatoris ostendi. Præter monumentum autem, quò in memoriam nobis Domini Passio revocaretur, necessarium erat robur, & fortitudo animi, ut eam strenuè imitaremur, atque ad ejus exemplar vitam nostram institueremus. Id quoque hic cibus habet; omnibus enim modis panis hic vitæ cor hominis confirmat ad sectanda Christi vestigia, quibus humana mens confirmari potest: primùm ac maximè internæ gratiæ collatione, quæ propria huic Sacramento est, velut alitrix & vegetatrix virtutis, ac succi sanguinisque spiritualis creatrix. Mens enim, ut canit Ecclesia, in hoc Sacramento impletur gratiâ. Secundò propositione præmij, quod statim addit Ecclesia: *Et futura gloria nobis pignus datur*: nam qui tantæ gloriæ non modò expectationem aut spem, sed pignus in hoc Sacramento habere se cernit, is magno animo brevem Passionis

tionis

sionis diem feret, & stadium hoc à cæna  
 ad crucem magna alacritate percurret.  
 Tertiò ipsa Communionem, quod nomen  
 huic Sacramento proprium est; Commu-  
 nicantes enim Christi Domini Corpori &  
 Sanguini unum cum eo efficiuntur, ut, quæ-  
 cumque ille patitur, & nos pati oporteat,  
 & simul nobis Spiritus Christi Jesu com-  
 municatur, ut & vita Jesu manifestetur in  
 corpore nostro: denique ideo communi-  
 camus huic symbolo Passionis Domini,  
 ut ejusdem Domini Passionibus commu-  
 nicare discamus, ne, qui jucundatus est  
 in mensa Domini, gravetur in horto trista-  
 ri ac mædere cum Domino, utque is, qui  
 Sanguinem hausit Christi, suum quoque  
 sanguinem sit paratus præbere pro Chri-  
 sto. Et sanè intolerabile quiddam est, &  
 vix bene ullo criminis aut insanix nomi-  
 ne satis exprimendum, velle nos Domino  
 cæli & terræ pasci, & nolle eum sequi,  
 nolle sectari. Paucis nummis aucto-  
 ratus miles Duci suo libertatem suam ad-  
 dicit, corpus & sanguinem cuivis hostili  
 paratus offerre feritati: nos toto Ducis no-  
 stri ac Dei Corpore & Sanguine sumpto,  
 cujus vel unâ guttâ totius Universi salus

2. Cor.  
 4. v. 10.

G

nimis

nimis carò emitur, nondum adduci possumus, ut ejus latus stipare velimus, & debitū, etiam citra stipendium, ei præstare famulatum. Postremum, quod in hoc Sacramento nobis ad vitam instituendam ad Passionis exemplar magnas vires addit, est Gratiarum Actio; est enim hoc Sacramentum gratiarum actionis, unde etiam nomen invenit, ut Græca voce Eucharistia dicatur. Quoties igitur hoc sumimus, cum pro cæteris omnibus beneficijs gratias agimus, tum pro eo maxime, quòd nos ad vitam instituendam ad Passionis exemplar vocaverit. Altissima ea vocatio est, & summam continet perfectionis humanæ. Nulla alia gratiarum actio tantum beneficium compensari rectè poterat, præterquam hac unâ, ut, qui se nobis dedit, eum nos ipsi offerremus. Dum autem ita ei gratias agimus, fit ut & nos ad vitam ad id exemplar magis magisque conformandam excitemur, & grati animi significatione divina in nos beneficentia provocetur.



## CAPUT XI.

*Purganda esse vitia sermonis  
nostri, ad eius exemplar, quem Do-  
minus post cenam habuit.*

**E**T hymnò dictò exierunt. Inter cæ-  
nam & exitum ad hortum, Matthæ-  
us interjicit solum hymnum; at Lucas,  
& Joānes, multos & Apostolorū inter se, &  
cum ijs Christi Domini sermones  
intervenisse, commemorant. Quid dice-  
mus? nisi rectè unius hymni nomine om-  
nes Christi Domini & Sanctorum venire  
sermones; quicquid enim Sancti viri lo-  
quuntur, hymnus est: *Domine labia mea  
aperies & os meum annuntiabit laudem  
tuam*, inquit Regius Vates, ac si diceret,  
non in aliud unquam dicendi munus hæc  
labia aperientur, nec in alia unquam ver-  
ba flectentur, quàm quibus tua Domine  
laus concelebretur. Ecce alter nobis divi-  
nior Magister Apostolus, *Si quis loquitur,*  
inquit, *quasi sermones Dei.* Quid hoc est?  
jubésne nos Deos esse, qui homines su-  
mus? & instar Deorum esse, cùm loqui-  
mur,

Matth.  
26. v. 30

Psal. 50.  
v. 17.

1 Pet. 4.  
v. 11.

mur, qui miseris nobis superque præstare videmur, cum in loquendo nos ut homines gerimus, cum plerumque aut velut aves stridulæ garriamus, aut instar brutarum pecudum, quarum affectus imitamur, feros rugitus, & belluinos planè sonosedamus? *Ego verò, inquit Paulus, jubeo vos ita loqui, ut omnia, quæ dicitis, vel Dei ad homines, vel hominis ad Deum verba videantur.* Ergo postquam ad Dominicæ Passionis exemplar vitam instituerimus, à peccatis omnibus eorumque pravis affectionibus confessione purgati, & Communionem vitæ refectione, primùm omnium aggrediamur oris vitia reprimere: non ea tantùm, quæ nobis volentibus in sermone peccantur; hæc enim confessione sublata jam ponimus, sed ea etiam, quæ *Jacob. 5. v. 2. imprudentes delinquimus: nam si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Estque hæc vitæ spiritualis prima purgatio, quam statim post suam vocationem accepit Isaias, cum ab Angelo os ejus carbone contactum est, quem tulerat de altari. Quid autem est præceptorum, quod in eo genere desiderari possit, cujus hoc

hoc loco non facile subjiciatur exemplar? Nunquam in familiari sermone tandiu versatus cum Apostolis Dominus legitur, quàm post cœnam, non modò quòd supremum esset hoc tempus, sed maximè, quòd ijs sermonibus nos vellet instruere, ut & tacere & loqui tempestivè disceremus. Illud enim tempus est, quò maximè lingua in omne vitiorum genus fertur effrænis ac præceps, cùm animus vinò incaluit, cùm epulis mens gravis, velut sopit' auriga, demissis habenis linguam patitur exorbitare, quà velit. Ad convivalia igitur colloquia suo sermone moderanda Christus & tamdiu locutus est, & loqui Apostolos suos voluit, ut in ipsis omnes eorum posteros edoceret. Linguae vitia, etsi planè infinita sunt, quam proinde Jacobus appellat *Universitatem iniquitatis*, nihilominus in tria meritò distingui possunt: in Verba Vana, Noxia, & Impia. *Trifida enim est lingua serpentis, & lingua tertia multos dicitur perdidisse.* Vana verba sunt, vel quæ inania veritatis, vel quæ vanò studiò ac fine ex ore prodeunt, vel quæ nullò, Mendacia, Jactationes,

*Jacob. 3.*

*v. 6.*

*Eccl. 28.*

*v. 16.*

Verba otiosa : atque hæc in levissimis linguæ vitijs habentur , quibus addantur licet scurrilitates , ludi æquivocationum , ironiæ , & quæ in eadem classe sunt nugæ. Aulicæ hic est eloquentiæ apparatus , & militarium pompa verborum , & quicquid ferè dictu putatur urbanius , ex hoc myrothecio est. Illud antiquum , est est , non non , rusticitas putatur , ac si Jesus meus , qui ita locutus est , non & ipse è præclara Regum familia fuisset. Huc tandem ista versutia loquendi redijt , ut , qui minùs loquendo sua sensa aperiat , is meliùs loqui putetur , cùm sanè institutæ ad aperienda animi sensa sint voces. At non ita Dominus hoc supremo sermone : *Amen Amen dico vobis* : quid alienius à mendacio , quàm geminata contestatio veritatis ? *Unus vestrum me traditurus est* : quid ab æquivocatione semotius , quid sincerius , quid gravius ? Et sanè decet eum , qui vitam ad Passionis exemplar formare decreverit , semel ita apud se statuere , nugas jam se , & lusus fallaciæque verborum , & quas urbanitates vocant , hæc vita suscepta non decere. Sic ergo sibi ipse dicat : Satis nugarum

rum

rum est, sat̄is facetiarum, sat̄is argutiarum; sat̄is aulicum egi, in posterum, ut Christianum agam, danda opera est; Christi loquendi modum & stylum malo, quàm hujus ex aulicis aut illius imitari. Jactationes verò, & gloriations hoc sermone postremo Christus Dominus severè coereuit. Cùm enim inter Discipulos contentio facta esset, quis eorum videretur esse major, & proculdubio quisque de se, aut saltem de eo, quem provehere vellet, magnificè loqueretur, cum sermonem Dominus intercidens docuit, id Ethnicum esse, non Christianum. Inter gentium Principes, & eorum asseclas eam contentionem, non inter Christi discipulos locum habere, qui tantùm deberent modestiâ & animi demissione certare. Postremò nihil in hoc toto convivali Christi sermone ridiculum, nihil vanum, nihil mordax reperies, sed omnia seria, vera, simplicia, solida. Sic tandem loqui disce, & facies, quod è re tua fuerit. Altera gravior est classis vitiorum oris, quæ verba noxia continet. Hujusmodi sunt, quæ vel audientem lædunt, ut convicia, vel alte-



rum absentem, ut calumniæ, detractio-  
 nes, murmurationes, vel denique ipsos lo-  
 quentes, ut verba obscæna, & adversan-  
 tia puritati. *Hæc sunt, quæ ex ore prode-  
 unt*, ut ait Salvator, *& coinquinant ho-  
 minem*. In unversum autē hæc verba, vel  
 animum proferentis & proximi, pravis  
 cogitationibus & occasione peccandi læ-  
 dunt, vel famam violant. In hoc verò  
 Domini sermone verba omnia ad utilita-  
 tem audientium pertinent, nihil in eo est  
 noxium, nihil non sanctum & salubre.  
 Famæ verò proximi tanta cura est, tanta  
 parsimonia, ut Judæ quoque scelestissimi  
 proditoris nomini parcat; cùm enim  
 necesse esset ad Discipulos confirmandos,  
 tollendâque scandali occasionem, palàm  
 omnibus promulgari, nec proditionem,  
 nec proditoris auctorem Domino fuisse  
 ignotum, id ille ita facit, ut, quantum po-  
 test, Judæ famam tueatur. *Unus vestrûm*,  
 inquit, *me proditurus est*. Deinde quia  
 necesse erat exprimere, quisnam is esset, id  
 in aurê uni dicit: *Qui intingit mecû manû  
 in paropside, hic me tradet*: neque  
 tum nomen ispum proditoris protulit, ut,  
 quan-

quantum fieri posset, ejus ignominia vitaretur. Quid nunc excusationis illi habent, qui tantam de rebus alienis licentiam loquuntur? qui cum vilis necessitas cogit, vulgare crimen alienum, id ita faciunt, ut multa proferant, quae silere potuissent. Illud etiam adnotandum est, Salvatorem, cum, Judam ipsum palam arguere, putaret, ad ejus salutem plurimum momenti allaturum, ita sermonem temperasse, ut & ipse agnosceret se notari, & reliquis id esset ignotum: ut, si forte resipiscere vellet, id facere ei omnino integrum esset. *Unus vestrum*, inquit, ac deinde manifestius ipsum allocutus, *Quod facis*, inquit, *fac citius*: quod caeteri Apostoli aliqua alia de re dictum intellexerunt. Discamus alienae famae parcere, cujus & minus reparabilis est jactura, & gravius quam fortunarum, vitaeque ipsius plerisque hominum dolet. Tertium linguae vitium, idque omnium pestilentissimum, ac deterrimum est, quo Deus ipse violatur: *Posuerunt*, inquit, *in calum os suum*: Sive quis Deum, quem corde credit, recuset, cum opus est, ore confiteri, & quod majus est nefas,

fas, abneget, aut certè verba in eum impia & execranda proferat, sive corde etiam impio cogitationes, adversus Deum, ejusque Ecclesiam ac Religionem impie mente conceptas, ore depromat. Si quid est, quod eum cavere oporteat, qui Christum Dei Verbum decrevit imitari, maximè est genus omne verborum, non dicam impium, sed minùs Religiosum ac pius. Consuetudo jurandi, Deique ac sacrarum rerum nomen ad vana quæque, & sæpe minùs decora promendi, immanè quantum ab hoc vitæ studio distat: Christus, Dei sermo & Verbum, quicquid loquitur, Patris est laus & gloria. Christianum os, quod crux Domini tam sæpe consignat, non in aliud decet, quàm in laudem sui Conditoris aperiri. Hymnum canentes igitur cum Domino exeamus, hoc est, sic omnia oris nostri verba modulantes, ut in omnibus laudetur Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi. Quod maximè fiet, si precationum quoque sacrarum studium nobis cordi fuerit, & vitulos labiorum nostrorum Domino immolemus; id enim sacrificij genus Domino gratif.

gratissimū est, quō ipsum hominis cor, ipse quodammodo spiritus in verba formatus offertur. Ipsa hac, quā vivimus, inspiratio, si in Dei laudem dirigatur, rectē ipsi vivere dicemur. Hactenus Vitæ Spiritualis exordium, quod Viam Purgativam Magistri vocant; nunc ad Illuminativam transeamus. Incipientium hactenus studia contemplati sumus, nunc proficientium incrementa cernamus. Et quoniam Dominus hymnum dicens egreditur, nos quoque compositis animæ nostræ potentijs ad concentum laudēque divinam, ejus auxiliō invocatō, è cænaculo, id est, vitæ communis & vulgaris consuetudine ad orationis locum spiritualium profectuum passibus exeamus,



INSTI-



INSTITUTIO  
VITÆ AD  
EXEMPLAR

PASSIONIS DOMINI  
& *Salvatoris Nostri*

LIBER II.

**V**eni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, manè surgamus ad vineas, videamus, si floruit vinea, si flores fructus parturiunt. Vox animæ hæc est, proficere in piæ ac spiritualis vitæ institutione cupientis, quod quia per se ipsa non potest, Dominum ac dilectum suum rogat, ut secum egrediatur, hoc est, ne illam deserat, sed progredi cupientem deducat eò, ubi flores bonarum cogitationum colligat, & fructus sanctarum operationum carpat, Hoc igitur, quod spon-  
sa

sa cupiebat, nunc agitur: egreditur enim Dominus cum Discipulis in hortum Gethsemani primum, deinde ad vineam Hierosolymæ, vineam dilectam, sed Domino laboriosam & sterilem, nobis utilem ac suavem. Vitæ spiritualis profectus in duobus est positus: in illustratione intellectûs, cognitione virtutum, & in corroboratione voluntatis, earundem operatione, & exercitio. In horto Gethsemani cognitione virtutum perfruemur, ac velut florum suavitate recreabimur: in reliqua Domini Passione usque ad injustam damnationem easdem Virtutes exercere discemus, ac velut fructibus vescemur. In horto Contemplativa erit vita, quæ virtutes omnes Morales, Christianas, Theologicas, considerabit. In reliquis apud Annam, Caipham, & Herodem erit Activa, quæ circa tria bona versatur, ad quæ omnis actio tendit humana: Utile, Delectabile, Honorificum. Vitæ igitur Proficientium, ac Viæ Illuminativæ præcepta sunt undecim.

I.

Animi perturbationes sedandas esse ad  
Dominicæ Passionis exemplar.

II.

Studium, & Modum orandi ex Christo  
Domino, Patrem orante, esse discen-  
dum.

III.

Fructus Christianarum virtutum ex horto  
Gethsemani esse carpandos.

IV.

Moralium Virtutum fructus esse ex eodem  
horto legendos.

V.

Theologicarum quoque Virtutum fructus  
ex eodem horto decerpi.

VI.

Profitendum nobis esse palàm, nos Chri-  
stianam Perfectionem sectari.

VII.

Prudentiam mundi hujus, & vitæ spiri-  
tuali & sibi ipsi perniciosam, esse vi-  
tandam.

VIII.

Fortiter, Cautè, Humiliter in omnibus  
negotijs esse agendum.

IX. In

## IX.

In bonis utilibus conquirendis, conser-  
vandisque maximè cautionem esse ad-  
hibendam.

## X.

In bonis jucundis vel arcendis vel mode-  
randis fortitudinem exercendam.

## XI.

In bonis honorificis humilitati studen-  
dum.

## CAPUT I.

*Animi perturbationes sedandas  
esse ad Dominicæ Passionis exemplar.*

**E**T hymnò dictò exierunt in montem *Math.*  
Oliveti. Tunc dicit illis Jesus: Om- *26.v.30*  
nes vos scandalum patiemini in me in  
ista nocte, usque ad illud: cæpit contristari  
& maestus esse, tunc ait illis, tristis est ani-  
ma mea usque ad mortem: & ex Marco. *Marci.*  
Cæpit pavere, & tædere. E vita Purga- *14.v.33*  
tiva ad Illuminativam, & statu Incipien-  
tium ad statum Proficientium anima cum  
Salvatore progreditur. Ut ergo illumina-  
ri incipiat, necesse est, nubila prius ac ne-  
bulæ perturbationum discutiantur, quæ  
non



non patiuntur coelestes in eam radios im-  
mitti. Ut progredi possit, necesse est, hæc  
de medio tolli, quibus animus noster ve-  
lut retibus implicatur, & velut offendicu-  
lis impingit ac ruit. Quemadmodum eni-  
nim tempestate jactata navis ad destina-  
tum finem non progreditur, ita nos, ani-  
mo varijs perturbationibus fluctuante,  
hæremus, aut huc illuc transversim agimur,  
plerumque etiam repellimur, & , quod  
profeceramus, amittimus. Duo igitur no-  
bis animò retinenda sunt. Primum om-  
nino necessariam esse, cupienti in hac spi-  
rituali via proficere, curam omnes  
animi perturbationes componendi; ut,  
quia his omnino carere non possum<sup>9</sup>, sal-  
tem eas in officio esse, & mentis arbitrio  
parere doceamus. Alterum, quæ sit bre-  
vissima, & facillima id præstandi ratio:  
utrumque autem docebit propositus locus  
Evangelicæ lectionis. Nam primum, quàm  
necessaria ea nobis sollicitudo sit, quis  
non videt? cum Apostolis, quos elegerat,  
& hætenus erudierat, & in via incipien-  
tium cumulativè instruxerat, dicat:  
*Omnes vos scandalum patiemini in me*

*nocte ista.* Quid nobis non metuendum est? cum Apostolis id, quod erat à Salvatore prædictum, re ipsa acciderit, quis nostrum sibi polliceri audeat, id sibi non eventurum? Et sanè Salvatoris verba si diligentius expendamus, mirari desinemus, omnes Apostolos, qui adeò videbantur in Domini amore constantes, scandalum passos ab eo se avertisse. Cùm enim dicat: *in nocte ista:* satis indicat, eorum animas fuisse tenebris obvolutas, ut mirum non sit, eos iter non vidisse, quò Christum sequerentur. Si passio nobis, si calamitas, si tribulatio semper interdum accideret, id est, dum animus luce divina collustratur, dum sol ille cœlestis in meridie est, fortasse possemus in suscepto vitæ instituto hæreere constantes: at, cùm sæpe noctu id contingat, hoc est, cùm illa lux abest, cùm omnia apud nos caligine ac tenebris involvuntur, pauci sunt, qui non avertantur, pauci, qui non scandalum patiantur. Id de se Propheta testatur: *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum.* Videtur David non minus sibi promississe, quàm Petrus, qui dixit:

*Psa. 29.  
v. 7.*

H

*Etiamsi*

*Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Sed uterque experimentò sensit, se esse deceptum; nam luce divina sublata uterque in via Dei non leviter impetit: ac David quidem id statim de se fateatur: *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Petro autem Christus Dominus id prædixit: *Amen dico tibi, quia in hac nocte, (hoc est, cùm primum ego abs te meum lumen avertero) ter me negabis.* Nemo igitur sibi nimium fidat, quòd alacris sibi videatur & constans; nemo se putet, ubi tentatio ingruerit, aliud quàm hominem fore; sed potius, sicut ij faciunt, qui timentes, ne noctu impingant, dum lux est, lapides & offendicula omnia de medio tollunt, & gubernatores, dum tranquillitas est, rudentes explicant, & in spiram convolvunt, navim reficiunt, omnia ita comparant, ut, si quà repente vis ventorum ingruat, nihil implicatum aut impeditum sint reperturi, ita nos, dum divina consolatione illustramur, demus operam, ut omnes animi nostri perturbationes componamus, ne nos tribulatio timidos,  
ne tri-

ne tristes, ne cupidos, ne petulantes, ne iracundos inveniat. Hoc quô pacto optimè fiat, quod alterum erat, ex Evangelij verbis quatuor nobis optima præcepta sese offerunt. Primum ac potissimum est, ut omnium passionum affectionumque nostrarum Ducem, ac Pastorem constituamus Christum Dominum, ejusque Amorem. Nam si *Pax* (& *Caritas*) *Christi exultet* (sive, ut alij vertunt Apostoli verbum) *triumphet in cordibus nostris*, nihil poterunt nostræ passiones, sed victæ ligatis manibus ante currum triumphantis *Pacis* & *Caritatis* ducentur. Si fiet unum ovile, & unus pastor, non erunt passiones nostræ velut oves errantes, unaquæque pabulum quærens pro suo arbitrio undecunque. Hæc enim causa fuit perturbationis & scandali Apostolorum, ut ipse Dominus ait. *Scriptum est enim: percutiam pastorem, & dispergentur oves.* Ergo id nobis summô studiô cavendum est, nequa rebellis Passio ac perfida in pastorem tuum, Christi amorem in-  
insurgat, eumque percutiat ac proster-  
nat. Alterum præceptum, ut assiduè vi-

Col. 3.  
v. 13.

H 2

gilemus;

gilemus; Petrus enim Christum negavit, antequam Gallus cantaret: hoc quid sibi vult? Gallus in sacris Ecclesiæ hymnis vocatur *Excitator mentium*. Dormiebat Petrus, & excitatore eguit, sed priusquam excitaretur, impegerat. Studeamus igitur excitatores nostrâ diligentiam prævenire, quod se facere ille dicebat, qui cecinit: *Præveni in maturitate, & clamavi: alibi: Anticipaverunt vigilias oculi mei.* Ac si diceret: prius, quam me gallus aliquis clamore suo excitaret, aut vigil moneret, ego me ipse excitavi & monui. Salubre quidem ac sanctum est, ut hi monitores adsint, qui nos, cum fortè aliqua passione delinquimus, semel atque iterum admoneant. Sed nobis id prius faciendum erat, ut nos ipsi redargueremus, & prius nostras passiones ad officium & obsequium rationis revocaremus, quam se illæ in publicum proferrent, aliena admonitione revocandæ. Tertium est, ut, quantum possumus, ab ijs occupationibus & conversationibus secedamus, quæ has in nobis perturbationes gignunt, vel irritant. Hoc Dominus docet, dum urbe de-

ferta,

Psa. 118.

v. 147

Psa. 76.

v. 5.

ferta, torrente transmissa, & non solum turbis, quæ eum sequi solebant, relictis, non solum septuaginta duobus discipulis omissis, quorum aliqui cum eo in postrema cœna fuisse dicuntur, sed etiam omnibus Apostolis valere jussis præter tres, Petrum, Jacobum & Joannem, in hortum cultum, & conclusum locum secessit, ut nos quoque relictis omnibus, quæ perturbare nos possent, negotijs, amicis, occupationibus, ejusmodi locum & studium, quantum possumus, eligamus, in quo ab omni externa & vulgari perturbatione seclusi culturæ animi nostri vacemus. Quartum demum sedandi omnes animi perturbationes ac saluberrimum præceptum post illa tria peracta, erit patientia: nam si, postquam Amorem Christi Domini tibi præ omnibus proposueris, postquam vigilaveris, ne tuæ passiones licentiùs efferantur, postquam ab omni, quæ perturbare te posset, cura & conversatione secesseris, adhuc tristitiâ angeris, iracundiâ vexaris, tædiô aut mœrore conficeris, si timor ingruit, si qua alia, vel te invito, passio exurgit, tum demum nihil aliud superest, quàm ut id,

quàm potes, sedatò & quietò animò feras. Tum tibi versetur ante oculos Christus Dominus, qui & ipse aliquos ejusmodi motus adversos sentire voluit, dum & pavorem, & rædium, & tristitiam pertulit. Quædam tamen observes, ne per speciem patientiæ ignavia tibi subrepat. Primum, si inferior animæ pars turbetur, nihil necesse est, nec pati debes superiorem quoque, quæ libera est, turbari. Deinde passionibus, quæ rationi obsistunt, nunquam voluntate cedendum est, sed semper obnitendum. Tertiò medijs, quæ Spirituales Magistri docent, agendum est, ut Passiones has violentiores superes. Quartò, quicquid in molestis animi passionibus invitus pateris, Christi Domini Passionibus jungendum, eique offerendum est.



## CAPUT II.

*Studium & modum orandi ex  
Christo Domino Patrem orante esse  
discendum.*

**T**unc venit Jesus cum illis in villam, *Matth.*  
 quæ dicitur Gethsemani, & dixit *26.v.36*  
 discipulis suis: sedete hîc, donec vadam il-  
 luc, & orem. & ex Marco: & cùm pro- *Marc.*  
 cessisset paululum, procidit super terram, *14.v.35.*  
 & orabat. & ex Luca. & egressus ibat se- *Luc.22.*  
 cundùm consuetudinem in montem oliua- *v.39.*  
 rum, &c. Repulsis nubibus perturbatio-  
 num tenebræ adhuc in anima sunt, nisi  
 lux cælestis affulgeat, quam nobis lucem  
 affert, atque è cœlo elicit oratio. Scri-  
 ptum est enim: *Accedite ad eum, & illu-*  
*minamini.* Quemadmodum igitur è sa- *Psa.33.*  
 cræ narrationis historiâ perturbationes *v.6.*  
 omnes sedare didicimus, ita ex eadem  
 nunc orare discamus. Ac licèt Christus  
 Dominus sæpe legatur orâsse, nunquam  
 tamen tam accuratè ab Evangelistis de-  
 scribitur ejus oratio, sicut hoc loco, quò  
 videntur præcipua quatuor adnotari posse,



quæ in oratione deesse non debent, ut ea sit ad hoc exemplar instituta: Assiduitas, Attentio, Devotio, Perseverantia. Assiduitas in eo est, quòd non casu aliquo, vel novò consiliò Christus Dominus in hortum venit oratum, sed, ut ait S. Lucas *secundùm consuetudinem*. Hinc discimus, non modò orandi consuetudinem Dominum habuisse, sed etiam certò locò, ac tempore orandi. *Sciebat*, inquit Joannes, & *Judas locum*; ac si diceret: nec Judam latebat, quò locò se recipere Dominus sole- ret, licèt fortè ob id munus, quod habe- bat, & quòdà pietate alienior esset, infre- quentio- rem eum fuisse Christi comitem, cùm ad orandum iretur, æstimare possi- mus. Quis ergo erit, qui minùs necessa- rium sibi existimet, certa habere & loca o- randi, & tempora? cùm id ne Dominus quidem neglexerit, cui nihil horum ne- cessarium erat. Loca enim eligimus, ne rerum variarum imaginibus occurrenti- bus, aut hominũ interventione turbemur. Tempora designamus, tum ut aptiora hæc quoque nanciscamur, tum ne nobis inter varias occupationes dies effugiat, prius- quam

Ioan. 26

v. 21

quam orationi vacemus. Nihil horum Christo Domino erat necessarium; nam & in medijs turbis, imò & in summis cruciatibus Deo conjunctissimum animum habebat, & non egebat monitore, quò commonefieret, ne dies priùs elaberetur, quàm Patrem oráset, cum ipse & Pater unum essent, non modò unâ Divinitatis essentiâ, sed etiam mentis ac voluntatis humanæ cum eo conjunctione perpetua. Quòd igitur certum habuit orandi tempus ac locum, id procul dubio nostrâ causâ factum est: nihil enim ita necessarium vitæ bene instituendæ est, atque oratio, nihil orationi magis, quàm loci ac temporis constitutio. David septies in die laudem dicere consueverat: Petrus & Johannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Christus monet, *cùm oraveris, intra in cubiculum, & clauso ostiò ora Patrem tuum.* Vagæ illius & erraticæ orationis vix ulla ratio habenda est. Quemadmodum suæ valetudini ac vitæ malè consulere, qui incertis temporibus, ac fortuitò cibum caperet, ita multò magis, qui eâdem negligentia nunc animæ

Psa. 116.

v. 164.

Matth.

6. v. 6.

H 5

cibum

- Psa.* 101  
v. 5. cibum sumit. Fatebatur David: *Percus-*  
*sus sum ut fœnum, & aruit cor meum,*  
*quia oblitus sum comedere panem meum.*
- Mat.* 6.  
v. 11. Panis proculdubio *quotidianus supersub-*  
*stantialis* oratio est; eo pane cor homi-  
nis confirmatur; eô Justus ex fide vivit;  
eum certô locô ac tempore quotidie su-  
mat, qui Deo vivere vult. Quotidie dici-  
*Mat.* 6.  
v. 13. mus: *Ne nos inducas in tentationem.*  
*Christus autem nobis respondet: Orate*  
*Luc.* 22.  
v. 40. *ne intretis in tentationem.* Si negligis o-  
rare, quid mirum, si tentaris, & vinceris?  
Quid mirum autem, si negligas orare,  
cùm nullum ad id certum habeas tempus  
ac locum? Quod locô ac tempore caret,  
id nusquam & nunquam fiet. Assiduum  
igitur oportet esse te, sempérque eodem  
loco ac tempore precibus vacare, ut ea re,  
quantum potes, beatos illos cives Hiero-  
solymæ cœlestis imiteris, & Cherubim at-  
que Seraphim, quæ, licèt alas habeant, ta-  
men semper eodem loco defixa hærent,  
Domini sui assidua contemplatione de-  
tenta. Attentio, quæ altera conditio erat,  
ipsa quoque plurimùm à loci ac temporis  
constitutione pendet: sic enim locus ora-  
tionis

tionis eligendus est, ut ab eo non modò  
 homines, ac cætera externa ludibria re-  
 rum absint, sed etiam cogitationibus alie-  
 nis nullum in eum locum aditum demus.  
 Abraham ascensurus montem cum Isaac  
 ad sacrificium peragendum, famulis in  
 crepidine montis relictis, *expectate*, ait, Gen. 22.  
*hic cum asino, ego & puer illuc usque pro- v. 5.  
*perantes, cum adoraverimus, revertete-*  
*mur ad vos; id nos oportet non modò cæ-*  
 teris occupationibus, sed sensibus ipsis, ip-  
 si corpori dicere; nudo, si fieri potest, eun-  
 dum est ad orationem spiritu, *Psallam* 1. Cor.  
*spiritu, psallam & mente.* Nihil hîc loci 14. v. 15.  
 habent rerum cæterarum imagines; psal-  
 lunt mente, qui ratiocinantes divina me-  
 ditantur; psallunt spiritu, qui Deo exce-  
 dunt, & altiore se contemplatione subdu-  
 cunt. Christus quoque ipse discipulis ait:  
*Sedete hîc, donec vadam illuc, & orem.*  
 Sedete amici, quiescite cogitationes, ob-  
 dormite sensus, donec cum Deo agam.  
 Heu quoties in sacrarium mentis nostræ  
 eo tempore ipso, quò cum Deo agendum  
 esset, pecudes, & negotiatores mercimo-  
 nia agentes se immittunt! Utinam, cum id  
 accidit,*

*Marci.*  
II. v. 17.

accidit, veniat Jesus, & factô flagellô quasi de funiculis, ejiciat e mentes & vendentes, & ovium ac bouum importunos greges, nec non & columbarum caveas, hoc est, utilium & piarum alioqui rerum, parum aptas huic tempori cogitationes expellat, ne orationis locus forum negotiatorum fiat, aut, quod est pejus, spelunca latronum. Ergo relictis Apostolis Christus Dominus tres tantum eligit comites, Petrum, Jacobum & Joannem; quia nonnullorum oportet etiam in oratione meminisse, hos autem collocat tam longè à se, quantum jactus est lapidis, ac si docere vellet, eos quoque paucos, quorum recordari nos oportet orantes, extra jactum lapidis collocandos esse, ne nos possint priùs interpellare, quam nos velimus, atque ita totus uni orationi intendens monet nos, quantum æquius sit, homines cum simus, putare, cum orare incipimus, totos nos ei negotio oportere impendere, & multum esse, si quis totò animò & corpore & totis ossibus orans ( ut faciebat ille, qui dixit: *Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tibi?* ) ita ut oportet, ac Deum decet,

*Psal. 34.*  
v. 10.

cet,

cet, reperiatur orâsse. Devotio autem, quæ tertia erat virtus orationis, est omnium quidem virtutum veluti flos quidam, & lux, & ut quidam dixit, quod in picturis sandaracha est, quæ, cùm inducitur, omnes colores reddit illustres ac vividos, ita est virtutibus omnibus una devotio. Sed hoc maximè nomine in oratione duo significantur, quorum alterum nostræ industriæ est (Dei gratia præveniente) alterum divinitatum muneris. Nam eos devotos vocamus, qui aut ipsi omne pietatis genus sectantur, & nihil omittunt, quod ad conciliandam sibi Divini Numinis benevolentiam spectet; aut qui à Deo singulari aliqua inter orandum jucunditate ac voluptate cœlesti perfruuntur. Prior illa devotio est irriguum inferius, posterior est irriguum superius: Utrumque optabat Axa à patre Caleb, dicens: *Da mihi benedictionem. Cui pater dedit Irriguum superius, & irriguum inferius.* Utrumque optare debet anima, & petere à Deo, nam Dei est, utrumque concedere, Irriguum inferius nostræ sollicitudinis, Irriguum superius suæ visitationis. Utriusque nobis exempla

Ind. 15.  
 v. 16.

exempla dat Salvatoris oratio: nam & lo-  
 cus ipse utrumque significat. *Hortus est*, sub  
 hoc nomine humana spectatur industria.  
*Gethsemani est*, id est Vallis pinguis; sub  
 hoc nomine divina pinguedo ac devotio  
 indicatur, quam etiam designat ipse mons  
 olivarum, in quo Dominus orare consue-  
 verat. Sed quia tædij ac tristitiæ Dominus  
 erat plenus, disce, non semper illud cæ-  
 leste manna pluiturū, nec semper hausturū  
 te mel de petra, oleūque de saxo durissi-  
 mo, sed interdum omni solatio destitu-  
 tū, nec mente, nec linguā a satis ad orandū  
 dispositum, dicturum Deo, *Aruit tanquā  
 testa virtus mea, & lingua mea adhesit  
 faucibus meis*. Quod tamen minimè tibi  
 omittendæ orationis causa esse debet. Hæc  
 erat è quatuor initio propositis conditio-  
 nibus postrema, Constantia: *Et factus in  
 agonia prolixius orabat*: Tertiò eandem  
 orationem Dei filius iterat: nos, si minùs  
 succedat oratio, ne secundò quidem eam  
 iterare dignamur; nemini dubium est,  
 quin omnis illa Domini agonia nostrâ  
 causâ, non ipsius, suscepta fuerit; ipse e-  
 nim sèper ac statim exaudiebatur à Patre;  
 quòd igitur in agonia factus est, indicat  
 eum

eum veluti cum Deo certamen inijsse. Nam Græcè Agon, Latinè certamen est; fanè, qui orant, cum Deo certamen ineunt. Ita Jacob cum Angelo luctatus est usque manè. Ita Moses pro populo orans cum Deo quodammodo certabat, ut ille diceret: dimitte me, ut irascar populo huic, & minimè ingratum Deo facimus hoc modo cum illo certantes, quin ipse hoc requirit. *Quæsi vi, inquit, virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra.* Stemus igitur fortes in oratione, ut, quibus hic honor defertur, quodammodo cum Deo certare dicamur. Sed infinita sunt alia, quæ ex Christi oratione discit, qui eam diligenter intuitus, suam formare ad ejus exemplar studuerit.

## CAPUT III.

*Fructus Christianarum Virtutum ex Horto Gethsemani esse carpandos.*

**P**ater mi, si possibile est, transeat à me *Matth.*  
*calix iste, verumtamen non sicut ego 26. v. 39*  
*volo,*



*Luc. 22* volo, sed sicut tu. & ex Luca: Apparuit  
*v. 43.* autem illi Angelus de cælo confortans e-  
 um, & factus in agonia prolixius orabat,  
 & factus est sudor ejus sicut gutta sangui-  
 nis decurrentis in terram. Didicimus o-  
 rare. Discamus ex oratione fructus, qui-  
 bus pascamur & proficiamus, colligere.  
 Non enim tantum spatianti causâ, & ocu-  
 los detinendi in hortum descendit Spon-  
 sus, sed ut pascatur in hortis, & lilia col-  
 ligat, quorum tota die odore recreetur.  
 Fructus igitur nobis ex oratione sunt col-  
 ligendi. Omnia autem poma, quæ colligi  
 in oratione possunt, nova & vetera habet  
 hortus Gethsemani, ut facile sit, totâ vi-  
 tâ eô detineri ac pasci. Nova poma sunt  
 fructus Virtutum Christianarum, quas  
 Dominus attulit, quæ antea non erant in  
 hominum vita & moribus. Ex sunt præ-  
 cipuè quatuor: Humilitas, Pœnitentia,  
 Resignatio, Mortificatio: Harum virtu-  
 tum licet aliqua exempla etiam in San-  
 ctis veteris testamenti legantur, eas tamen  
 Christus Dominus perfecit ac docuit, &  
 in mores induxit. Poma vetera sunt Vir-  
 tutes Morales, quarum etiam Ethnici no-  
 titiam

citiam semper habuerunt, & sunt itidem  
 quatuor, Prudentia, Justitia, Fortitudo,  
 Temperantia. De illis primùm agendū est:  
 Humilitatem Dominus etsi totâ vitâ do-  
 cuit, nam & hoc magisterium singulari-  
 ter est professus, dicens, *Discite à me,*  
*quia mitis sum, & humilis corde,* hoc ta-  
 men loco ac tempore singulariter osten-  
 dit. Primùm enim, cùm esset Patrem o-  
 raturus, procidit in faciem suam. Quid  
 demissius? quid dici potest humilius?  
*Cùm in forma Dei esset,* ac sine rapina aut  
 usurpatione dignitatis alienæ æqualem se  
 Patri posset asserere, quippe cùm ipse &  
 Pater unum essent, nec possit, ubi sit sum-  
 ma Unitas, non summa esse dignitatis æ-  
 qualitas; memor tamen humanæ naturæ,  
 quam assumpserat, eò usque se abjicit, ut  
 in faciem suam procidat, velut indignus,  
 qui cœlum spectaret. Procidit in faciem  
 suam filius ante Patrem, & *filius dilectus,*  
*in quo ei bene complacuit,* quod neque  
 prodigus filius ante patrem fecisse memo-  
 ratur. Quis est, qui audeat erecto vultu  
 coram Deo stare, & cum Phariseo suam  
 illi justitiam objectare, cùm ipsa Sancti-  
 tas,

*Phili. 2.*  
*v. 6.*

tas, ipsa Justitia non audeat vultum Judicis intueri? Miramur Seraphim velare alis ora: plus est Regem Angelorum totò terræ elementò sibi vultum tegere, ut sancta quadam humilitatis eclipsi ostenderet, coram Deo omnium conditore quemcunque solem creatæ gloriæ deficere. Sole igitur hoc deficiente, quod sidus fulgebit? quis adeò impudenter audax, qui coram Deo se aliquid putet, cùm videat eum, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium, Alpha & Omega, principium & finis, ita se prosternentem, ac si vellet in nihilum suum redire, quippe qui naturam suam à Deo ex nihilo habere meminisset. O nihil nostrum! cur te aliquid putas? O terra, lutum! cur, nescio, qua opinione tui extolleris, ut posse te credas coram Deo capite ac vultu erecto stare? Dejicere miser, sternere, affige te solo, & si potes, in abyssum deprime. Sed ne putas hoc satis esse, quòd Deo, & ijs, qui Dei locò tibi sunt, humilitate subjiceris, disce etiam ijs, qui tibi subsunt, te ex animi demissione submittere. *Et apparuit Angelus de cælo confortans eum.* Planè id longè majoris

majoris humilitatis fuit, quòd Angelorum Rex, Magister, Deus ab Angelo se confortari passus est; ideo scilicet, quòd naturæ altioris ille est, quàm sit humana. Quòd si tantum Angelo Christus defert, quid non æquum est, nos Sacerdotibus deferre, qui Angeli Dei sunt? quid Superioribus ac Magistris? Pœnitentia quoque Christiana est propriè virtus, quippe Ethnicis ignota, quorum aliqui etiam indignum viro Sapiente esse dicebant, Pœnitere. Pœnitentiam Christus Dominus suorum criminum nullam habuit, quia peccatum non fecit, & dolus inventus non est in ore ejus: sed nostrorum habuit perfectissimam, quæ ut sua dolebat, *posuit enim Deus in eo iniquitates omnium nostrorum.* Videtur igitur Christi Domini oratio, & patris negatio, eò directâ fuisse, ut intelligeretur, rem scelestissimam esse Peccatum, quæ requireret ad sui expiationem Christi mortem, ut ne roganti quidem posset ignosci: sic enim ait. *Deus meus rogabo per diem, & nō exaudies, & nocte, & non ad insipientiam mihi.* Cur hoc? dixerat ante: *Longè à salute mea verba delicto-*

Isai. 53.  
v. 6.

Psal. 21.  
v. 3.

*delictorum meorum*, ac si diceret. Dum ego te salutis meae causam rogo, Deus meus, ut, si fieri possit, transeat à me calix iste, altera ex parte delicta hominum, quae mea esse voluisti, clamant & ipsa, & vox eorum potentior est meam, ipsa efficiunt, ut fieri non possit, quin ego calicem hunc bibam. Longè à salute mea ut sis, id est, nolis mihi vitam concedere, faciunt voces ac verba delictorum meorum, quae ex omnium hominum humeris in meos transfusi. Adeste nunc peccatores, & colloquium hoc Salvatoris cum Deo Patre audite: *Pater*, inquit, *si possibile est, transeat à me calix iste*. Ac si diceret: *Pater*, si tanta peccati gravitas non est, ut id non requirat, Dei ipsius satisfactione expiari, sed potes minore aliqua victima esse contentus, oro, & justum est, ut mihi vitam serves, & alium hominibus Salvatorem des. Quid respondit Pater? Missus est Angelus, qui hæc illi diceret. Te quidem non latet, qui Sapientia Dei es, id quod dicturus sum Dei ac Patris tui verbis; sed tamè, ut ex hoc nostro colloquio intelligant homines, quae sit peccati gravitas, nuncio tibi

tibi Patris ac Dei nomine, Deum ( etsi omnia possit ) minimè posse Justitiæ suæ exactè & ex æquo satisfacere, nisi ei offenso Divina Persona satisfaciat. Quandoquidem igitur statutum est, peccatum tui debere morte ( sic enim ab initio dictum est Adamo ) non aliâ quàm tuâ luendum est. Videor mihi videre Christum Dominum, his auditis se ad nos vertentem, & his utentem vocibus. Ecquid videtis tandem homines, quanta sit vel unius è sceleribus vestris gravitas? cum pluri id sit apud Deum, quàm meæ preces, imò quàm mea vita? Nondum vos pudet, vestra improbitate necessitatem Deo ipsi attulisse moriendi? nondum vestrarum culparum dolore tangimini, cum ego eas tantùm recogitans tristis sim usque ad mortem? His nos ad summam, & verecundiam & dolorem, adigi necesse est, & optare tristitiam illam usque ad mortem, quæ nostrâ causâ in Christi Domini anima fuit, in nostrum quoque pectus transire, cupere lethalem illam agoniam in nobis experiri, quâ conflictemur, & sciamus, quid quantumque sit, quod deliquimus; orare deni-

Gen. 2.  
v.17.

que Christum, ut, si possibile est, transeat in nos calix ille contritionis ac doloris, quem ipse bibit. Tertia, quam in horto carpimus, Christiana virtus est Resignatio: sic vocatur virtus, quâ Deo ita in omnibus nostram submittimus voluntatem, ut simus parati, id velle, quod velit, id recusare, quod nolit. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*: in utrumque scilicet, ut, siue quid velim mihi concedere, siue quid eripere, æquè sim futurus lætus, æquè pacatus, æquè tuus. Hæc quoque virtus Christi propria est, qui ita in omnibus Patris nutum ac voluntatem secutus est, ut vix duodennis diceret Matri, ac

*Psa. 107 v. 2.* *Luc. 2. 49.* *Josepho, nescitis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Felix voluntas, quæ non apud se est, sed in ijs, quæ sunt Dei; ibi enim voluntas est, ubi ejus est amor: ubi autem meliùs aut amor noster esse possit, aut voluntas, quàm apud Deum? Eam igitur virtutem nunquam meliùs, quàm in hac oratione Christus docuit. Tum enim difficiliùs est Dei voluntati & arbitrio se permittere, cùm de ijs rebus agitur, quas magis amamus; mi-  
nùs

nus certè Job sensit pecorum quàm filiorum jacturam, & hanc minùs quàm proprij corporis inflìctam ægritudinem. Quid autem esset, quod Christus aut magis amaret, aut jure meliore, quàm vitã suã? Nam & homines hanc præ omnibus ferè rebus æstimant, sapientiores magis, quàm qui minùs intelligunt. Intelligebat profectò Christus, nihil in rebus omnibus creatis esse, quod pretio æquaret vitam Divinam, & quia ejus caritas ordinata erat, & ita quàmque rem amabat, sicuti decebat, & juxta boni illius magnitudinem: necessariò plùs amabat suam vitam, magisque jacturam ejus sentiebat, quàm omnes simul homines unquam rem ullam amarint, vel ullius rei amissionem doluerint, si omnes omnium conjungerentur affectus. Hinc de eo Propheta dicit: *Dedit dilectam animam suam in manibus quærentium eam*, ne putes Christum non sensisse jacturam tantæ rei. Alter eum loquentem cum Patre inducit, his verbis: *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis unicam meam*. Unicam vocat, non tantùm, quòd alteram ipse

Ier. 12.

v. 7.

Psal. 21.

v. 21.



non haberet, sed, quòd nulla ei similis, aut comparanda usquam esset. Rem ergo tantam, actam dilectam, tam unicam, vide, quàm liberè in manus Patris resignet. Ter oravit: Primò quidem, ut, si possibile esset, calix ab eo transfret, sed addidit, *non quod ego volo, sed quod tu.* Secundò autem, ac tertio, sic oravit: *Pater mi, si non potest hic calix transire à me, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Ita semper eòdem tendebat ejus petitio, ne **Ipsius**, sed ut Dei voluntas fieret. Quantò magis decet nos id dicere, quorum voluntas adeo sordida terrenis affectibus, adeo boni melioris inscia est, ut semper illud minùs velimus, quod, cùm Deus velit, constet esse optimum. Quarta virtus Christiana, quam ex hoc horto decerpere possumus, est Mortificatio. Docet illam sudor Christi sanguineus, qui nos ad elicicendas nobis aliquot etiam sanguinis guttas flagris inflictis hortatur; docet tota mentis & corporis in eo dolore & agoniâ conflictatio. Sed, quia Mortificationem tota Christi Passio docet, minùs necesse est, in ea hìc immorari.

## CAPUT IV.

*Moralium Virtutum fructus esse ex eodem horto legendos.*

**E**T venit ad Discipulos suos, & in- *Marth.*  
 venit eos dormientes, & ait Petro: *26.v.47*  
*Sic non potuistis unâ horâ vigilare me-*  
*cum? Vigilate, & orate, ut non intretis*  
*in tentationem; Spiritus quidem prom-*  
*ptus est, caro autem infirma, usque ad il-*  
*lud: Convertite gladium tuum in locum su-*  
*um, &c.* Licet Christianis maximè vir-  
 tutibus, quas diximus, studere debeamus,  
 Morales tamen omittendæ non sunt, quas  
 Christus Dominus docendo suas fecit.  
 Nam, quamvis vetus Propheta dixerit, *Ve-* *Levi.26*  
*tera Novis supervenientib? fore projicien-* *v.10.*  
*da,* id minimè de contemptu accipien-  
 dum est, sed quòd hæc longè illis antecel-  
 lant, & illa in se contineant; nam &  
 Humilitas Prudens, Fortis, Temperans  
 & Justa est, & idem de alijs facilè dixeris.  
 Alioqui Nova, & Vetera simul in portis  
 Ecclesiæ sunt, & Scriba Doctus in Regno *Cant.7.*  
*cælorum profert de Thesauro suo nova &* *v.13.*  
*vetera.* Moralium igitur virtutum fru- *Matth.*  
 ctus *13.v.52.*

Etus in horto Gethsemani uberrimos colligemus. Et, quia proficientium hic ordo est, ut ab imperfectioribus ad perfectiora procedant, Temperantia prima erit, quæ in adolescentia requiritur. Fortitudo secunda, quæ maximè juventutem & virilem ætatem decet. Tertia Justitia, quæ confirmata & provec̃ta ætas ornatur. Quarta Prudentia, quæ senum propria est. Temperantiam docet Christus Dominus Apostolos, cum eos reprehendit, quòd tam breves vigiliis ferre non potuissent. *Vigilate, inquit, & orate, ut non intretis in tentationem; Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Ex quo Christi Domini præcepto sacrarum Vigiliarum in Ecclesia ortus est ritus. Somni quidem nomine hîc omnem voluptatem corporis possumus intelligere: quemadmodum enim somnò sternitur corpus, anima sopitur, usq; rationis opprimitur, ita illecebræ voluptatum eadem nobis damna inferunt, & tantò majora, quantò peior est animæ mors æterna, quàm brevis imago mortis corporeæ. Quare hortatur Apostolus nos de somno surgere, & sicut in die

Rom. 9.  
v. 3.

die

die honestè ambulare, non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicijs. Medium autem ad Temperantiam obtinendam proposuit Orationem. Quippe cùm nemo possit esse continens, nisi Deus det, & cùm animus voluptatis cupidus non aliter meliùs possit à noxia voluptate avocari, quàm si alia nobilior voluptas ei proponatur, & caro infirma tum robur acquirat, cùm spiritus ratione roboratur, *Latabimur*, inquit sponsa, & *exultabimus in te, memores uberum tuorum super vinum*, hoc est, cùm primùm tua ubera fugere in oratione cæperimus, tum nobis vinum deliciarum terrestrium acescet ac displicebit, illius voluptatis recordabimur semper, hujus immemores omnino erimus. Sed quia, cùm necessitas poscit, indulgendum est aliquid corpori, ideo Dominus cùm secundo venisset, invenissetque eos dormientes, *erant*, inquit Matthæus, *oculi eorum gravati*, & Marcus addit: & *nesciebant, quid responderent Ei*, miseratus eorum infirmitatem nihil dixit. Tertio autem cùm venisset, etiam dormire aliquantulum

eos

Sap. 8.  
v. 21.

Cant. I.  
v. 4.

eos iussit. *Dormite jam*, inquit, & *re-*  
*quiescite*? ac postea. *Surgite: eamus*. Ec-  
 ce moderatur filiorum somnum. Beatus,  
 qui moderatorem habet ac temperatorem  
 actionum suarum Jesum. Beatus, qui eo  
 iubente quiescit, eo excitante consurgit,  
 ejus nutu cibum capit, ejus imperio jeju-  
 nat, & nullū è corporis comōdis aut sumit  
 aut respuit ejus injussu. Nunc Fortitudinē,  
 eodem docente, discamus: *Eamus*, in-  
 quit, *ecce appropinquavit, qui me tradet*.  
 Brevis vox *Eamus*: sed nulla fortior ad  
 hanc diem unquam est audita. Fortitudo  
 enim in arduis sponte subeundis tantō  
 major est, quantō & majora instant peri-  
 cula, & certiora, & qui ea subit, minus  
 præsidij ad ea evadenda habet, & plus  
 intelligit, quantum in ijs sit mali.  
 Hæc omnia in Christo Domino summa  
 erant. Nam quod majus unquam, non  
 dico periculum, sed exitium fuit, quā  
 illud, in quod se Christus tum dedit? quod  
 certius? quis minūse evasurum spera-  
 vit? quis præsentiozem habuit futuri  
 mali notitiam? Obversabatur ei ante ocu-  
 los ignominia illius horror, & facies tur-  
 pissima

pissima mortis infamis, cruciatuū asperitas & multitudo, hæc enim omnia sciebat, antequam fierent, tota denique scena Romana sævitia, Judaicæ perfidia, & quod horum omnium caput & causa erat, ultimus inferorum furor & rabies: hæc simul omnia illi se objiciebant, ad quæ vitanda, licet à Patre legiones Angelorum habere posset, sciebat tamen id jam constitutum esse, sibi per hæc eundum esse, & hæc omnia perferenda. Postremò offerebant se ejus animo, quæ longè ingrattissimos illos cruciatus reddebant, pernicies Hebraicæ gentis, ex qua ipse nasci voluerat; hominum tam multorum ingratus animus, qui tantum beneficium parùm agnitori, minùs æstimaturi essent, denique etiam multi abnegaturi, plurimi oppugnaturi. Ultimum horroris erat Judæ impia proditio, quâ plus cruciabatur Domini caritas, quàm omnibus Judæorum furoribus. Adversus hæc omnia mala tam impavidus Salvator ex oratione consurgit, ut Apostolos dormientes minimè putet excitandos. Interea dum abesset aliquantum Judas cum cohorte, *Dormite jam,* inquit,

inquit,

inquit, & *conquiescite*, tanquam in rebus securis; deinde eos excitat, non ad sui præsidium, sed ad spectaculum, ut tantæ fortitudinis visû miraculô, & ipsi ad aliquid simile audendum pro ipso excitarentur aliquando. Invenio Dominum in sua Passione diversis, & planè oppositis feris apud Prophetas comparatum.

*Isai. 53.* Nam apud Isaiam ovis vocatur, *Sicut ovis ad occisionē ductus est*; à Jacobo autem in *Gen. 49* Judæ benedictione *Leo* dicitur, *Requiescens accubuisti ut Leo*. Quî potuit idem Leo ferox, & Ovis mansueta dici? Leo nimirum fuit, cùm in adversam cohortem in se irruentiû hostiû se obviû dedit; sed ovis fuit, cùm ijsdē hostib⁹ se obtulit vincendum, illudendum, trahendum, immolandum. Ex his disces, quæ sit Christiana fortitudo: nam ejus proprium est, non minùs audacter occurrere omnibus periculis, quàm ea, si opus sit, ferre mansuetè, & humiliter. Sanè Fortitudo Leonis apparuit in eo, quòd & tantô animô occurrit hostibus, & Proditorem tanta gravitate reprehendit. *Amice, ad quid venisti?* Et ultro interrogavit: *Quem queritis?*

*queritis* : & cùm audisset se quæri, tali  
 vultu, ac frontis majestate respondit; *Ego*  
*sum*; ut abierint retrorsum, & ceciderint  
 resupini in terram. Fortitudo autem O-  
 vis, quæ Christianorum propria est, qui  
 cum ipsa mansuetudine omnia adversa  
 vincunt, enituit in eo, cùm Petrum arma  
 capessentem repressit, & ipsos milites ar-  
 guit, quòd ad se, inermem & mori  
 paratum, facibus armisque instructi venis-  
 sent, & cùm deinde vinciri se passus est, &  
 secutus quocunque duxerunt, talem se  
 gessit, ut multò magis ovis immolanti re-  
 sistat, quàm ipse restiterit se occidenti-  
 bus. *Fecerunt illi, quacunque voluerunt.*  
 Agendæ sunt gratiæ vel cœco furori Ju-  
 dæorum, qui properans plura ac longio-  
 ra Christo Domino tormenta non intulit,  
 vel astutiæ eorum versutiæ, quæ populi tu-  
 multum, & tantæ innocentæ mox mani-  
 festandam timens apertissimam verita-  
 tem, rem ultra diem differendam non pu-  
 tavit. Nam quicquid eo tempore tartarea  
 rabies in hanc mitissimam ovem audere  
 voluisset, paratam Domini patientiam ha-  
 bebat, ut planè possimus dicere, omnia  
 tor-

*Marci.*  
 9. v. 13.



tormenta, omnesque cruciatus, quos homini homines inferre possint, & quos excogitare daemones valeant, Christum Dominum suscepisse; ad omnia enim perferenda erat paratus. Justitiae vero nunquam majus exemplum editum est, quam in horto Gethsemani. Etenim primum ea Justitia, quae inter Deum & Homines intercedit, illic ad perfectam aequalitatem adducta est, & ejus, quae inter ipsos homines est, insigne documentum est editum. Dei justitia ob scelera hominum, quibus divina dignitas erat offensa, exigebat ab hominibus eam satisfactionem, quae se, ac Numen violatum deceret: contra humana conditio imbecilla ac labilis jure quodam suo poscebat, eam ab se satisfactionem exigere, quam exhibere posset: cur enim idem Conditor, qui se ita infirmum & inopem creasset, hoc ab se requireret, quod sciret in suis viribus non esse? Litigium hoc, quodammodo ex utraque parte aequum, diremit Christi Domini caritas, qui suscepto patrociniò infirmitatis humanae, quod Justitiae Divinae debebatur, exsolvit, non solum integrè, sed cumulatè, ut non modo

modò justa, sed copiosa sit apud eum redemptio. Et quia, ne hoc faceret, hominis, quem gerebat, innocentia obstabat, qui se tot cruciatibus objici meritò queri poterat, ejus quoque causam apud Patrem aliquando agendam suscepit, rogans, ut, si fieri posset, ne huic quidem parti injuria fieret, donec à Patre responsum, ipsius Humanitati sic expedire, & hoc vel maximè è re ipsius esse, quæ brevi morte omne gaudium & gloriam esset adeptura. Quo nuncio accepto læta Humanitas, *proposito* sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta. Ita tum Dominus implevit omnem Justitiam, & omnia litigia composuit, pacificans per Sanguinem suum, quæ in cælis, & quæ in terris erant. Justitiæ verò inter homines insigne præceptum dedit. Primum, cum noluit esse plures gladios quàm duos : *Ecce duo gladij hic*, dixerant Apostoli : respondit Dominus, *Satis est*. Nam præter gladios duos publicæ auctoritatis, Ecclesiasticæ & sæcularis, nullus in Ecclesia esse debet tertius gladius privatæ ultionis. Deinde, cum Petrum, nimis properè & intempestivè

Hebr. II

v. 2.

Colo. I.

v. 10.

K

arma

arma arripientem, coërcuit, etsi optimo affectu, etsi optimâ causâ, tamen præter Dei voluntatem, nullo jure adversus publicos ministros insurgentem. Quô docuit, temerè nos interdum, velut Christi Domini honorem ulturos, arma sumere, cum id tamen Christus ipse non requirat à nobis. Illud denique ad omnes ab injuria deterrendos addidit, eum, qui adversus alterum ferrum stringeret, simili fato periturum, & vicem cuique reddendam, ac neminem impunè laturum, qui sanguinem fratris fuderit. *Vae qui prædatis,* inquit Propheta, *nonne prædaberis?* Num putas inultam abituram audaciam, quam tibi præsens rerum status facit? Noli id putare; est, qui quærat, & judicet. Prudentiam verò, eamque cœlestem, ac quæ de sursum est, cum ex omnibus, quæ in hoc horto egit Dominus vel dixit, uberrimè discimus, tum maximè ex duobus: primùm ex consilijs, quibus suos instruxit; deinde ex verbis, quibus est adversarios allocutus. Mirum alicui esse posset, Dominum, qui sapientia ipsa esset, à suis ultimò discedentem, tanta tempestate

*Isai. 33.*  
v.I.

pestate ingruente, non eis plura & reconditiora consilia, & monita aperuisse, ut solent viri longo usu rerum edocti, cum filios aut amicos deserunt, nonnulla eis capita consiliorum ac principia vitæ dirigendæ indicare. At Salvator in toto illo extremo sermone nihil aliud eis, quàm Fidem, Spem & Charitatem commendavit. In hoc verò secretiore consilio, habito cum tribus fidissimis discipulorum, nihil eos docuit aliud, quàm orare; in eo verbo prudentiam omnem constituens: *Orate, ne intretis in tentationem.* Noverint cum omnes Christiani, tum maximè, qui vel statu vel munere proximè Apostolos sequuntur, in eo sibi omnem ponendam esse solertiam & calliditatem, ut, quicquid periculi eorum rebus imminet, oratione prævertant. Quid ad arma properas Petre? Non hoc Magister consuluit: præstitisset Vigilâsse, & Orasse; illud satis erat; illud Dominus abs te requirebat; illud si fecisses, Dominum fortè in atrio non negasses. Non decet te, istis consilijs rem Christi tueri velle; quibus Ethnici setuentur: *Vigila, & Ora, satis feceris.*

Ego, si opus fuerit, legiones mittam Angelorum, quæ te & me tueantur. Summa igitur est prudentiæ Christianæ, Vigilare, & Orare. Quod verò Judæ & Cohorti Dominus locutus est, id videtur humanam & noxiam prudentiam arguere. *Quem quæritis?* inquit. Quàm multi ex hominibus, qui nunc rebus humanis se immiscent, ac plurima agenda suscipiunt, si interrogarentur his vocibus: *Quem quæritis?* territi abirent retrorsum, & caderent. *Quem quæritis?* Proculdubio diligitis vanitatem, & quæritis mendacium: aut certè malum proximo vestro quæritis; jure ergo in vobis fit, quod Propheta ait: *Convertantur retrorsum, qui volunt mihi mala.* Sed audent colligere se, & dicere: *Jesum Nazarenum quærimus.* Nihil nobis aliud propositum est, quàm Christi honor, Ecclesiæ utilitas, Reipublicæ bonum. Scilicet, hæc vos quæritis, non aliter quàm Judæi Christum quærebant, ut, cum reperissent, perderent ac necarent. Nam publica munera, magistratus, dignitatésque præcipuas ideo affectatis, ut in ijs ex vestra utilitate, non ex Christi exemplo

exemplo ac lege vivatis. Sic antea Herodes quoque Christum quæsierat, quem occideret: Ergo jure nobis responderi potest: Jesum quæritis, finite hos abire. Si Christum, si Ecclesiæ, si Reipublicæ commodum quæritis, nolite divitias sectari, nolite consanguineos & amicos tantum vestros evehere, ac locupletare, nolite eò libentiùs accurrere, ubi reditus majores sint, non ubi fructus uberior, Christum tenete, finite hos abire. Discamus nos hanc veram esse prudentiam, Christum unum tenere, ac domum nostram ducere, non damnandum, sed vindicem salutis nostræ colendum, amandum, & observandum semper; at reliqua omnia sinamus abire, quò velint.

## CAPUT V.

*Theologicarum Virtutum quoque Fructus ex eodem horto decerpi.*

**Q**ui autem tradidit eum, dedit illis signum dicens: quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & confestim accedens ad Jesum dixit: Ave Rabbi.

Matth.  
v. 48.

K 3

& oscu.

& osculatus est eum, dixitque Jesus; amice, ad quid venisti? Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in Jesum, & tenuerunt eum. Hanc sacræ narrationis partem, qua Jesus capitur, virtutibus Theologicis congruenter aptabimus: quippe alijs virtutibus Dominus quæritur, his capitur ac tenetur. Quis autem Omnipotentem facilè tenere possit? non est satis unum adhibere funiculum, triplici vinculo opus est; nam *funiculus triplex difficilè rumpitur*. Fide igitur, Spe & Caritate Dominus tenetur. O illos felices, qui tam beatâ prædâ potiuntur! sed licèt hæc tria requirantur, non capitur tamen Dominus, nisi Caritate. *Quemcumque osculatus fuero, inquit, ipse est, tenete eum*. Contemplemur has virtutes in ipsis Judæorum sceleribus, & hæc gemina viperarum meditatione concisa in salutarem nobis vertamus adversus venena medicinam. Nam quemadmodum Crux, quæ Domino acerba & noxia fuit, nobis est salutaris atque utilis, ità hæc omnia, quæ in ipsum facta sunt, è Jesu corpore ac præsentia virtutem acceperunt,

*Eccle. 4.*  
*v. 12.*

runt, quâ possint nobis meditantibus non una ratione prodesse. Primùm igitur Fide Dominus tenetur. Plura alia Fidei documenta hic hortus Gethsemani habet, sed maxima, quæ circa Petrum facta sunt. Etenim Tres Apostoli, qui Christum Dominum propiùs secuti sunt, tres Virtutes Theo'ogicas designant. Sicut in octo reliquis, qui remotiùs sunt relictì, quatuor Moralium, totidem Christianarum virtutum, quas adnotavimus, possum⁹ imaginem agnoscere. Nam illæ, remotiores sunt; tolæ Theologicæ Deum attingunt. Petrus igitur Fidei, Jacobus Spei, Joannes Caritatis est symbolum. Petrum Dominus paulò antè monnerat. *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem oravi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Hic possumus duo contemplari. Primum, Christum Dominum elegisse Petrum ejùsque Successores, in quibus Fides non deficeret, & à quibus reliqui omnes fideles confirmarentur. Quod ideò factum est; quia futurum erat, ut Satanas cribra-

Luc. 12.  
v. 31.



ret Ecclesiam, id est, auctor esset schismatum, quibus paleæ se à tritico segregarent; ille igitur semper inter grana Christi erit, ipsique conjunctus, qui se grano frumenti comparavit, qui cum Petro fuerit; qui verò ab eo discesserit, inter paleas erit sempiterno igne comburendus. Quo loco Dei consilium mirabimur, qui Fidei totius ædificium in hoc homine fundare voluerit, quem post se constituit secundarium Ecclesiæ fundamentum, quod fieri debere nulla ratio suadebat humana; nam neque Petrus inter Apostolos erat natu maximus, neque vocatione primus, neque sapientiâ consultissimus, neque genere nobilissimus, cum eò prior ætate & vocatione esset Andreas, nobilior Joannes, ditior Matthæus, sapientior Bartholomæus, si fuit idem qui Nathanael. Sed ut disceremus, res fidei non æstimandas esse ratione, sed voluntate credendas, ejusmodi Magistrum omnibus præfecit, in quo eligendo quid secutus esset, nulla humana ratio appareret. Certè postquam eum se negaturum prædixit, addidit promissionem Fidei in eo fundandæ, quæ nunquam esset

esset defectura : Ut sciremus , eum Salva-  
 toris clementia & beneficio , non suo  
 merito consecutum esse , ut , qua in re lap-  
 sus esset , hoc est in fidei confessione , in ea  
 cæteris præficeretur : ut *ubi abundavit*  
*peccatum , superabundaret & gratia* ( ni-  
 hil interea præclaræ illi confessioni detra-  
 himus , quâ prope Cæsaream Philippi pri-  
 mus Christi divinitatem promulgaverat ,  
 sed illud quoque gratiæ fuerat ) Illud vide-  
 tur maximè Domino placere potuisse in  
 Petro , quòd adeò humilis fuerit , ut se in-  
 dignum putaret , qui cum Domino in ea-  
 dem navi esset. *Exi , aiebat , à me Domi-  
 ne , quia homo peccator sum.* Ex quo tem-  
 pore statim ei Dominus non obscurum  
 indicium dedit sublimis hujus electionis.  
 Quem enim humillimum vidit , eum puta-  
 vit fidei suæ docendæ fore aptissimum.  
 Quemadmodum Pharisæis dictum est :  
*Quomodo potestis credere , qui gloriam*  
*ab invicem accipitis ?* ità Petrus , qui non  
 sectabatur suam gloriam , Fidei præses &  
 magister factus est. Alterum , quod intue-  
 bimur , hoc erit : Fidem nostram instar  
 Petri humilem , sollicitam , Christi aman-

Rom. 8.

v. 20.

Ioan. 5.

v. 44.

K 5

tem

tem esse debere, quæ nunquam ab eo discedat, dicatque: *Domine, quò ibimus? verba vite aeterna habes.* Deinde, siquid in nobis turbetur aut decidat, si tentatione ingruente aliqua virtus aliquid patiat, constantia, patientia, obedientia, parsimonia, Petrum debere confirmare fratres suos, hoc est, debere nos verti ad Fidei principia, & ex his restituere & reficere, quidquid tentationis impetu dejectum, ac deturbatum est. Etenim cum cogitamus, quæ nos præmia maneat, quæ supplicia nobis Deus comminetur, quæ præcepta det, quibus & auxilijs iuvet, & exemplis instruxerit, nihil est, quod non confirmetur in nobis ac restituatur. Illud quoque considerandum est, quòd Apostolis dormientibus solum Petrum Dominus reprehendit. *Simon dormis? Non potuisti unà horà vigilare mecum?* Nam revera quæcumque in nobis virtus dormiat, necesse est, simul cum ea dormiat fides; hæc igitur prius excitanda est, deinde per eam reliquæ. Postremo neque illud omittendum: Petrum à Domino reprehendi, quòd vim & arma tentaverit: in quo illud cogitatur

Ioan. 9.  
v. 68.

tare possumus, Fidei propriam esse obedientiam; non oportere aciem ingenij, quam gladij nomine significari putamus, liberè circumvibrare. Christum Legiones Angelorum tuentur ac defendunt; cave putes, sine tui ingenij gladio, sine ictibus & vulneribus veritatem non posse defendi. Non amat Christus temerarias ingenij vibrationes, vult acutiora quæque ingeniavaginâ modestiæ contineri. Hæc aliâque in Petro contemplabimur, quæ Fidem nostram instruant, qui cum Simon, id est Audiens vel Obediens diceretur, & *filius Joannis*, id est Gratia, vel, ut aliter idem nomen scribitur, *Jona*, id est, Columbæ esset, à Christo dictus est Petrus, id est, Petra. Nam fides ex auditu & obedientia gratiæ ac Spiritus sancti operatione concipitur, firmitatem autem & perseverantiam accipit à Christo Domino, cui velut petra adhæret. Nunc Spei fructum ex horto Gethsemani decerpamus: hunc etiam facilè nobis hic sacer hortus dabit, nec diu vel anxie quærendus erit. Etenim cum Spei præcipuus actus sit Oratio; Spes enim est, quæ nobis De-

um

um proponit, tanquam unum, à quo cuncta bona expectemus & expetamus; expetimus autem orando: ubinam melius aut plenius docemur orare, quàm hîc? ubi necessitas orationis aut gravioribus verbis indicatur à Domino, aut exemplis clarioribus demonstratur? Adversus omnia mala, quæ nobis ingruere possunt, hoc unum præsidium nobis discedens ex hoc mundo Dominus reliquit: Orate, hoc est, in Deo spem vestram defigite, ejusque virtutis ætæ exercete, bona omnia ab eo petentes, qui bonorum largitor est omnium. Quòd autem in horto Dominus uno verbo dixit: Orate; hoc in sermone post cœnam pluribus edocuerat. Nam & in eo atque in Patre spem omnem ponendam docuerat: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Creditis in Deum, & in me credite: & eos ad vitæ æternæ expectationem erexerat: Vado parare vobis locum, & si abiero, & paravero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum: & dixerat, omnia eos à Patre, quæ ejus nomine peterent, accepturos. Siquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

*Petite,*

*Petite; & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Denique illud addiderat ad summam spei: *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.*

Hæc simul omnia uno verbo ijs in memoriam redegit, cum in horto monuit, nihil aliud, nisi orandum esse, *Orate.* Sed quemadmodum Fidem in Petro contemplati sumus, ita in Jacobo spem contemplemur. Primum Jacobi nomen, quod à Calcaneo ducitur, voce Hebraica; nam hostis antiquus calcaneo insidiatur hominum, dum eis suadet, spem suam alibi quam in Deo ponere; calcaneo enim totum corpus innititur, spe tota vita omnesque actiones sustententur; calcaneo tãtã corpus cadit, Spe vulneratã concidunt actiones nostræ, nihilque erectum, nihil est firmum & constans. Jacob Latinè dicitur supplantator; spes enim divina spem omnem humanam supplantat, sicut Jacob fratrem Esau supplantavit. *Spes* 2. Cor. I  
*nostra igitur firma sit in Deo, ut canere* v. 7.  
*possimus: Statuit super petram pedes meos.* Psal. 39.  
 Contemplemur & alterum nomen Jacobi, quod Joanni ejus fratri cum eo commune  
 v. 3.

mune

mune fuit, ut vocarentur Boanerges, id est, filij tonitruui. Quid hoc aliud significat, nisi Spem & Caritatem in fidelibus tonitruui voce concipi? dum Concionatorum externis admonitionibus & internâ Spiritûs Sancti vocatione ad spem omnem amorémque in Deo ponendum excitantur. Jacobus primus Apostolorum moritur, Joannes verò non moritur: sal-

*Ioan. 21. v. 23.* *tem hic sermo exijt inter fratres, quia discipulus ille non moritur.* Nam spes in  
*1. Cor. 13. v. 10.* *brevi hac vita erit tantùm, Caritas verò nunquam excidet.* Denique post Christi mortem Herodes Jacobum occidit, Petrum apprehendit, sed ab Angelo ereptum necare non potuit. Post gratiæ & caritatis amissionem diabolus etiam spem sæpe in fidelibus interficit, suadens, ut in rebus humanis & perituris spem suam collocent; quod ubi assecutus est, fidem quoque persequitur, occisurus, nisi prodigiò eripiatur ac seruetur. Hæc aliâque cum in Jacobo inspexerimus, & Spem nostram unâ cum eo in horto jacentem, ac sopitam erexerimus, atque excitaverimus, ad Joannem transgrediemur, qui

qui Caritatem significat. Nam & cognomine vocatus est *Discipulus ille, quem diligebat Jesus*, & super pectus Domini recubuit, in quo caritas regnat & quiescit. Hic ille discipulus est, qui unus retulit nobis supremum Christi Domini testamentum, quò discipulos suos caritatis suæ reliquit hæredes. *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*: in hoc ergo Caritatem intuebimur, & omnia, quæ de eo in sacris litteris narrantur, facilè de Caritate intelligemus. Hic dicitur fuisse Sponsus in Cana Galilææ, sed nuptias reliquisse, & secutus esse Dominum. Nam noster amor, qui priùs terrenæ voluptati nupserat, eâ repudiatâ se Christo addicit. Hic dixit Ostiariæ, & introduxit Petrum; quia dilectio fidem præcedit, tum voluntas pia affectione præoccupata, ijs, quæ dicuntur, præstat assensum. Hic Matrem Domini accepit in sua, & ab ea pro filio est habitus; quia Caritate sic anima perficitur, ut in Christum transformetur. *Vivo*, agebat ille, *jam non ego, vivit verò in me Christus*: & cum B. Virgo sit Mater pulchræ dilectio-

Ioan. 21.  
v. 7.

Ioan. 15.  
v. 12.

Ioan. 2.  
v. 1.

Ioan. 18.  
v. 16.

Ioan. 19.  
v. 27.

Gal. 2.  
v. 20.



dilectionis, non poterat non Mater esse Jo-  
 annis. Hic denique est, qui ad monu-  
 mentum præcurrit citius Petro, sed in-  
 troivit post Petrum, quia in mysterijs  
 Christi Domini indagandis, caritas est ar-  
 dentior, fides diligentior; & illa hanc præ-  
 venit sollicita inquisitione, hæc illam ac-  
 curata inspectione. Ubi simul hæc omnia  
 contulerimus, & ad nos revocare studue-  
 rimus, plurima occurrent, quibus nostra  
 Fides, Spes, Caritas instruat. Præcipue  
 autem cum Christum Dominum videri-  
 mus osculo prodi, quis non ingemiscet,  
 in hominibus tam sæpè id fieri, ut Cari-  
 tatis obtentu Christus prodatur in fratre.  
 Nos verò sanctæ caritatis osculo Domino  
 ac Deo nostro adhærere cupiemus, eum-  
 que hisce tribus virtutibus ita cordi no-  
 stro alligare, ut nulla unquam  
 vis eum nobis possit eripere.



## CAPUT VI.

*Profitendum nobis esse palàm,  
nos Christianam Perfectionem  
sectari.*

**E**T adduxerunt eum ad Annam pri-  
mum, &c. Pontifex ergo interroga-  
vit Jesum de discipulis suis, & de doctri-  
na ejus. Respondit ei Jesus: Ego palàm lo-  
cutus sũ mundo, ego semper docui in Syna-  
goga, & in templo, quò omnes Judæi con-  
veniunt, & in occulto locutus sum ni-  
hil, &c. Hæc ex Joanne est Christi Do-  
mini comprehensi cum suis adversarijs  
prima congressio: nos igitur vitam no-  
stram instituere inde discamus. Nam po-  
steaquam intra Horti septa, hoc est, intra  
secretioris tirocinij claustra nos aliquam-  
diu continuerimus, & omnium virtutum  
fructus decerpserimus; posteaquam eò us-  
que profecerimus, ut Christum apud nos  
vinctum, hoc est, constantibus firmisque  
animi propositis constrictum habeamus,  
exeundum nobis est primò ad Annam,  
deinde ad Caipham, Herodem, Pilatum.

L

Annas

Ioan. 18.

v. 13

§ 19.

Annas interpretatur Gratia: primùm enim ad opera gratiæ id est Religionis, publicè exercenda, progrediendum est: deinde etiam ad tria illa pergendum tribunalia, Pontificum, Regum, Præsidum, hoc est, omnia, quæ nostri sunt muneris, negotia suscipienda, & strenuè ex Christi exemplo & institutione tractanda. Primùm igitur ad Annam eundem est, id est, privatæ religionis officia explenda, quæ precibus fundendis, supplicationibus, sacrificijs, aliisque divinis obsequijs ritè peraguntur; deinde ad Caipham, hoc est, ad publica ejusdem Religionis munera, siquæ nobis incumbunt. Prodeuntium igitur à tirocinio triplex ferè classis est. Primi vix pedem inde efferunt, cum statim omnis illius disciplinæ, quam privatim addiderant, obliviscuntur, & susceptum vitæ propositum deserunt. Secundum diutiùs quidem, & aliquandiu constantiùs perseverant, sed, quia ne ipsi quidem seriò cum Deo agunt, quò seriùs eò graviùs tandem ruunt, & ab instituta vitæ sanctioris ratione deficiunt. Tertij ita, ut oportet, rem aggrediuntur,

ac divina ope firmi, constantésque in semel constitutis persistunt. Primi igitur Apostolis fugientibus comparantur: *tunc Discipuli omnes relictô eô fugerunt*: ne unô quidem temporis momentô cum Jesu capto inter medios satellites permanere potuerunt. *Tunc*, ipsô momentô, ne unum quidem cum eo passum facere ausi sunt. *Hi sunt, qui ad tempus credunt*, id est, cum intra domesticos parietes exercentur, *sed in tempore tentationis recedunt*, cum ex umbra ad solem & pulverem prodeundum est. Est autem aliquis paulò confidentior, qui audet etiam non nihil progredi, sed & hic paulò post turpius, quàm cæteri fugit: *adolescens quidam sequebatur eum amictus syndone super nudo, & tenuerunt eum, at ille relictâ syndone nudus profugit ab eis*. Quæ causa tam turpis fugæ fuit? nisi quòd nondum plenè Christum induerat. Externam tantùm vestem religionis assumpserat, interno habitu carebat. Erat syndon mortuale involucrium, in quo Christus Dominus depositus est: adhuc igitur non deseruerat opera mortuorum, quo-

Luca. 8.

v. 15.

rum vestes, hoc est, pravos habitus affe-  
*Mat. 8.* ctusque retinebat; necdum jusserat *mor-*  
*v. 22.* *tuos sepelire mortuos suos*, quod ad Chri-  
 stum sequendum necessarium est, hoc est,  
 mundanos mundana, externos externa  
 curare; adhuc illis erat negotijs implica-  
 tus, quæ jam dudum in sepulchrum cum  
 veteri vita oportuerat condidisse. Erat ea-  
 dem syndon convivale indumentum: ad-  
 huc igitur voluptatum in eo & comessa-  
 tionum reliquæ pristinæ hærebant;  
 adhuc deliciarum illecebris aliqua ex par-  
 te involvebatur. Christus in vinculis du-  
 citur; tu vis eum sequi molliter lin-  
 teatus? Non itur convivali veste post Chri-  
 stum. *Et tenuerunt eum*, inquit; sta-  
 tim enim tenetur, statim in aliquo nota-  
 tur, carpitur,prehenditur, qui hujusmo-  
 di est. Quid reliquum est? nisi ut relicta  
 syndone, & specie, quam assumpserat,  
 religionis abjectâ fugiat, & quidem nu-  
 dus: dedecore tantò majore, quantò est  
 fuga hæc inverecundior. Nos igitur, ne  
 quid nobis tale contingat, non festine-  
 mus è tirocinijs egredi; sed, quâ opus est  
 morâ & diligentiam, nosmetipsos sic interi-  
 us

us exteriùsque componamus, ut possimus  
*sicut in die honestè ambulare.* Verùm  
 alterum superest gravius periculum, ne  
 Christum aliquandiu secuti, eum tan-  
 dem graviore casu deseramus. Turpis A-  
 postolorum fuga fuit; sed occulta ferè ac  
 subita. Turpior hujus discipuli, qui jam  
 in comitatu Christi esse cœperat, & inter  
 faces & laternas militibus innotuerat, sed  
 hæc quoque repentino quodam timoris  
 motu accidit. Turpissima igitur Petri fu-  
 git, qui & in apertissima luce atrij Ponti-  
 ficij, & ad ignem, & jam non solum vultu  
 sed voce notus, non tantum pede fugit,  
 sed ore, voce, perjurio. Quid hoc est?  
 Quæ causa tam fædi casus? Contemple-  
 mur, & nostra pericula cavere discamus  
 alienis. Malos comites itineris Christum  
 secuturus assumpserat, Confidentiam, &  
 Simulationem: Confidentia fuerat, quòd  
 se omnium fortissimum fore in hoc certa-  
 mine pollicitus, id etiam factis præstare  
 satagebat; nam & solus vim paraverat ad  
 Christum defendendum, & solus secutus  
 fuerat usque intrò ad atrium Pontificis,  
 ut videret finem, id est, certus usque ad  
 L 3 exitum

Rom. 13.  
 v. 13.

exitum rei nunquam inde discedere: Simulationis, quòd & sequebatur à longè; tanquam aliud agens, & non intus cum Christo causam ejus innocentiae ac salutis publicè agebat, sed foris cum ejus adversarijs garriebat, & ad illud incendium Judaicæ invidiæ calefaciebat se, ac fovebat, quòd, si saperet, ardere cum Paulo maluisset, qui dicebat: *quis scandalizatur, & ego non uror?* Malos comites habet, qui inter hos graditur; qui & Confidentiâ Deum offendit, & simulatione proximum. Ergo his opposita, si sapias, si Christum sequi vis, strenuè & constanter assume, Humilitatem, & Veritatem. *Cum simplicibus sermocinatio ejus.* Si saperet Petrus, postquam audivit à Christo, quod ei instabat periculum, non perseveraret de se polliceri, sed ad ejus genua supplicem se abjiceret, rogarétque, ut se à tanto discrimine eriperet. Cùmque postea iterum videret, suam à Domino confidentiam esse reprehensam, quòd ei opem ferre voluisset, cujus ad nutum plusquam decem legiones Angelorum essent paratæ, cur non sapuit? cur non rogavit, ut, quando ipse caelestis militiæ præsidio uti nollet, sibi inde

2. Cor.  
II. v. 19.

Prov. 3.  
v. 32.

de aliquam opem deduceret? Id ergo nos, docti ejus calamitate, faciamus, & viam hanc ingressuri humilitatem & omnium nostrarum virium desperationem sociam assumamus, quæ eadem sit in Deum summa fiducia, & perennis oratio. Bonum Dominum, cui nos comites adjungimus, oremus, ut nobis Angelum suum ad custodiam adjungat, & quod plus est, nunquam ipse oculos à nobis avertat. Simulationem verò velut omnino à Sectatoribus Christi alienam abjiciamus: Christus Veritas est, quod consortium lucis ac tenebrarum, quæ mendacij cum veritate communio est? Si sequeris Christum, sequere: cur à lònge? neque Christo places, quem profiteri Magistrũ ac Ducem erubescis; neque Judæis, ad quorum cætum & satellitium non accedis. Deinde, quàm frigida simulatio est, velle se ex viro religioso aulicum facere, qui primò verbò deprehendaris aliter institutus, aliud professus, & vel à mulierculis deridearis, quòd eum Magistrum dissimules, quem te sequi cum alia, tum lingua ipsa manifestent. Planè frigidam simulationem: vnde & qui ita

L 4                      fingeret,



fingeret, ad ignem oportebat accedere. Dormitantium in vita spirituali hic error est, quos, nisi gallus admoneat, hoc est, vigil Superior, nisi Christus respiciat, nunquam huiusmodi inepta commercia & ludibria deserunt, atque ad lacrimas se recipiunt. Ergo ex Christo Domino, quæ sit nobis vitæ ratio ineunda, discamus: qui interrogatus, quid profiteretur: *Ego, inquit, semper docui in Synagoga, & in Templo, ubi omnes Judæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil.* Publica omnibusque manifesta res est doctrina Christianæ Perfectionis. Quid manifestius quàm Christi Domini sermo in monte habitus, ex Isaia vaticinio: *Supra montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Hierusalem.* Non eget fraude, non eget dissimulatione, non eget fallacijs Christiana sapientia; in aperto est, quid agere perfectum Christi Domini sectatorem deceat. Quod si adhuc te latet, Anna, si nunquam ad Christum audiendum neque in Templo, neque in Synagoga, cum in utraque tibi principatum

Isai. 40.  
v. 9.

tum vendices, accessisti, interroga eos, qui ipsum audierunt: infinitus est numerus Sanctorum ac Sectatorum Christi, interroga, quemcunque ex ijs obvium habueris: quid Paulus, quid Ignatius, quid Basilus, quid Gregorius, quid Franciscus ex eo didicerint. Quid igitur nos moramur exuere personam, & palàm profiteri eam doctrinam, quæ tam publica, tam probata est? Magni refert, imò totius fere vitæ spiritualis hæc summa est & cardo, ut omnes intelligant, quicquid accidat, eâ viâ nos progressuros, quâ Christus, quâ Sancti sunt progressi. Nam & ipsi, ubi nos ita decrevisse agnoverint, desinent nos ad vitæ humanæ ludibria evocare, imò à nobis cavebunt, tanquam ab ijs, qui severioris vitæ institutò, dum nostros mores ad Christi sanctiora præcepta formamus, arguimus & damnamus alienos: & nos pudor ipse in posterum continebit, ut nihil ea professione indignum ostendamus, nobisque interdictum putemus omnibus, quæ mundus sequitur, & contra ea omnia à nobis exigenda, quæ Sancti præstiterunt. Sed quàm malè agitur, quòd,

qui ita decreverunt, qui ita & agunt & loquuntur, ex improvise sæpe non levibus alapis cæduntur, & causa hæc affertur: *Sic respondes Pontifici?* Quid est vitij, miles, quod ista voce reprehendis? *Sic?* Quid est: *Sic?* Num iracundè, num petulanter, num calumniosè, num mendaciter, num imprudenter? Nihil horum. Quid ergo? Cùm nihil reprehendi potest, tum satis est calumniari volenti, dicere: *siccine agis? siccine loqueris?* Nam cùm ea, quæ ex virtute & Christiana perfectione aguntur, ejusmodi sint, ut nequeant ipsa reprehendi, modus carpitur, modus vitio datur. Non culpo, inquit, quòd vitam religiosam susceperit: sed *siccine?* Quòd jejunes, laudo: sed *siccine?* Nihil novi est, quòd orret: sed *siccine?* Præterea, qui te cædunt, plerique omnes Religionis, decori, legum, publicæ sanctimonix rationem prætendunt, sicut hic miles. Verùm, si rem diligenter excusseris, non Pontificis causam ille agebat, sed suæ ac suorum commilitonum iracundiæ serviebat, &, quia Petrum, qui eorum unum vulneraverat, ulcisci non poterant, in Magistrum, quòd illud

illud invitò factum erat, indignationem vertebant. Ergo si eiusmodi vitam velimus publicè profiteri, sæpe alienissimis causis & culpis nobis durissimè vapulandum est. Age sanè, cum Christo vapulemus.

## CAPUT VII.

*Prudentiam Mundi huius, & vite spirituali, & sibi ipsi perniciosam, esse vitandam.*

**E**T misit eum Annas ligatum ad Cai-  
 pham: & priùs. Erat autem Caiphas,  
 qui consilium dederat Judæis; quia expe-  
 dit unum hominem mori pro populo. Ubi  
 semel professi fuerimus, nos Christianæ  
 perfectionis sequi velle doctrinam, statim  
 nobis cum prudentia mundi hujus, quæ  
 adversaria est Deo, congregiendum erit.  
 Jesus ad Caiphas ducitur. Quid aliud Je-  
 sus est, quàm Dei Sapiencia? Quid aliud  
 Caiphas, quàm Mundana prudentia? Pri-  
 mùm igitur quam vocemus Mundi hujus  
 Sapienciam atque prudentiam, deinde  
 quò pactò cum ea nobis agendum sit, ex-  
 plicemus.

Ioan. 18.  
 v. 24. &  
 14.

plicemus. Humanæ Sapientiæ ac prudentiæ mundi hujus à vera ac divinâ illa distinctio est, quòd Divina pro fine constituit Deum, ad eúmque omnia dirigit ac disponit: humana humanum aliquod commodum dignitatis aut potentiæ, ad quod omnia & Deum ipsum nititur ordinare. Exemplum non est longè petendum: Caiphas humanæ prudentiæ simulacrum est, Christus divinæ. Nam Christus Dominus, cùm sibi pro fine proposuisset Patris voluntatem perficiendam, & gloriam propagandam, ad eum finem omnia direxit, in primis seipsum. Caiphas autem contra, cùm suam dignitatem, & soceri sui Annæ, & amicorum, existimationemque sapientiæ, & opes, & commoda denique omnia sua pro fine proposita haberet, eò collimans omnia illuc destinabat ac dirigebat. Cùm igitur Christi Domini Sapientiæ opinio, & severitas doctrinæ non minimum ejus dignitatem atque existimationem læderent, statuit eum de medio tollere; ad eum finem nec mendacijs, nec perjurijs, nec calumnijs, nec sacrilegijs ullis pepercit;

& po

& populum, & Principes, & Pilatum, & Herodem eò pertrahere conatus est, & Deum ipsum, si potuisset. Ex eo diverso sine diversus etiam agendi modus est utriusque prudentiæ: nam divina, quæ Deum pro fine habet, quem finem naturaliter omnia creata spectant, non cogitur vim rebus inferre, non eget dolis, non fraudibus, non violentiâ, non denique ulla legum transgressione, aut ordinis perturbatione, sed velut secundo flumine se à divina providentia per causas secundas, quas ipsa moderatur ac dirigit, ferri sinit; velut si quis mare petiturus in cymba fluvio impositâ conquiesceret, certus, sine ullo suo labore se eò perventurum. At contrâ humana prudentia, quæ rerum ordinem vult invertere, & ad se suâque commoda totum mundum, si fieri posset, ac Deum ipsum dirigere, infinitis machinis & architectationibus opus habet; non secus ac si quis turrin in aëre pendulam ædificare vellet, aut fluvium è mari in altissimum montem derivare. Hinc fit, ut, qui priorem illam prudentiam sectantur, illi totâ vitâ securi ac lati vivant, sine

sine

*Barnab.*  
3. v. 23.

sine ulla graviore sollicitudine, & ne inopinatos quidem casus pertimescant, quippe qui sciant, omnia à Deo ad salutem electorum, ex quibus se esse unusquisque confidit, ordinari. Qui verò alteram illam sequuntur, quos sacrae litterae allegoricè vocant *Filios Agar*, qui exquirunt prudentiam, quæ de terra est, in servitutem geniti, pavidam, fugacem, suspiciosam, sollicitam, inquietam vitam agunt. Nam ad eam machinationem perficiendam, quam susceperunt, diversis opus habent sollicitudinibus, & suspicionibus, & divinationibus, quæ illos quiescere nunquam patiuntur. Quid est Caipha, quod noctem ducis insomnem? Quid est Scribæ, Pharisei, Seniores, quod intempesta nocte concilium cogitis? Nihil pacatum meditabantur, qui nocturnam etiam quietem suis conspirationibus perturbabant. Duo autem propria sunt hujus noxiæ prudentiæ, præstruere semper consilijs suis publicam utilitatem, & semper eam contemptam sectari & affectare privatam. Ecce hic tibi Caiphas, quid aliud obtendebat, quàm publicam utilitatem? *Expedit ut n*

*nus moriatur homo pro populo, & non to-  
 ta gens pereat. Quid in speciem salutaris?  
 quid magis necessarium? Sed si rem bene  
 perspexeris, videbis, non publicæ illum,  
 sed suæ utilitati studere. Nam quid genti  
 Judæorum publicè utilius, quid salutaris  
 esse poterat Christi adventu? Quid ipsi a-  
 liud præstolabantur? quid aliud votis om-  
 nibus inhiabant? Dominum autem esse  
 Christum, aut sciebat Caiphas, aut, si vel-  
 let, facillimè scire potuisset. *Quid faci-  
 mus, inquit, quia hic homo multa signa  
 facit? Si dimittimus eum sic, omnes cre-  
 dent in eum.* Vidésne quàm certum ipsis  
 fuerit, Jesum esse Christum? Quis enim  
 tot signa faceret, quis totum mundum ad  
 se traheret, nisi is, de quo id ipsum futurum  
 prophetæ erant vaticinati? An verò ipsis  
 ignota erant prophetarum vaticinia?  
 Nonne qui interroganti Herodi, ubi Chri-  
 stus esset nasciturus, tam expeditè respon-  
 derunt, *In Bethlehem Judæ*, ijdem, si ab  
 ijs petatum esset, quæ signa Christus esset  
 editurus, statim ea ex Isaia enumerassent,  
 cum eum locum Dominus ipse sit publicè  
 interpretatus? Sciebant igitur, eum esse  
 Christum,*

*Matth.  
 2. v. 5.*



Christum, aut certè id se scituros sciebant, si vellent scrutari scripturas, & quæ fiebant, cum rerum futurarum vaticinijs comparare. Ergo ideo Caiphas Dominum de medio tollere vult, quia Christus est, quo adveniente, sciebat, legem & pontificatum veterem desitutum. Ne ergo ipse empto Pontificatu dejiciatur, Christum extinguere vult, & quia manifesta Danielis erat prædictio, eum populum, qui Christum esset occisurus, fore à Deo rejiciendum, & Urbem funditus diruendam, id ipsū nihili pendit Caiphas, modò ipse præsentem honorem gaudeat, & non cogatur Christi Discipulus fieri. Et quia Christum Deus mittebat, ejusque virtute signa edebantur, & Christus ipse Dei Filius erat Patri per omnia æqualis, ac Deus, ne hoc quidem Caiphas vel pili, ut dicitur, aestimabat, dummodo suam dignitatem, suum commodum posset tueri; non laborabat, quàm grandi sacrilegio se obstringeret, vel quàm esset ejus facti Deo Judicium redditurus? Quippe qui hoc unum ageret, ut se suaque commoda quaereret ac tueretur; ob quæ leges, populum,

*Dani. 9.*  
*v. 26.*

lum, urbem, templum, Christum, Deum  
 pessum ire, nihil mali existimabat. Exem-  
 plum à sartore non ineptum peti potest:  
 cum is ante se pretiosum sericum habet,  
 phrygio opere in varias hominum, ani-  
 mantium, plantarumque imagines seu  
 contextum, seu depictum, si ex eo vesti,  
 aptanda est, ductis lineis audacter incidit,  
 nec laborat, quàm commodè ad figurass  
 quæ illic depictæ aut intextæ visuntur,  
 modò aptè ad corpus illius, cui vestis pa-  
 ratur. Quod si interdum sollicitus sit, ut eas  
 quoque figuras aptet, ut pulchrè ac deco-  
 rè in ipsa veste appareant, non tamen, ad  
 figuram integram servandam, absurdam  
 & inconcinnam vestem faciet: ita hi pro-  
 fus faciunt Caiphæ discipuli, humanæ  
 prudentiæ sectatores; cupiunt quidem, si  
 fieri possit, omnia jura servare, & religio-  
 nem integram colere, sed, si minus id pos-  
 sit, incidunt quacumque opus est, & sacrâ,  
 prophana, humana, divîna æquè habent,  
 modò vestis, quam instituunt, humeris  
 aptè insideat. Sed non ita facilè his res  
 succedit, ut sartori; nam illius quidem  
 forfices acutiores sunt, & potentiores  
 M quàm

quàm fila textoris, us ideo facilè illa possit incidere; sed Caiphas Dei fila, Dei textum ac designationem non incidet: *omne enim consilium Dei stabit, & omnis eius voluntas fiet.* Adducitur ei Jesus ligatus: quid aget? *Concilium coactum est, in quo inimici ipsi sunt iudices; testes subornati & instructi adsunt, responsa ad omnia, quæ dici possunt, præmeditata in promptu sunt.* Quid, inquã, aget? Quid tu ages, ubi te in eas angustias conjici videris? ubi te humana prudentia circumvenerit, & specie æquitatis, utilitatis publicæ, Dei gloriæ in tuam perniciem apertè grassabitur? Cum vulpe vulpem, cum lupo lupum ages? Minimè verò, imò ubique ages ovem & columbam, ubique te similem Christo Domino conaberis exhibere. Quid fiet? Diripiar, dilaniabor, columba inter accipitres. Imò *inter medios clericos, id est sortes in tuum caput coniectas, erunt penna columba de argentata, & posteriora dorsi eius in pallore auri.* Quid times? Dic, scio cui credidi. Scio quem sequor. *Inire consilium, & dissipabitur.* Aut quod vos cogitatis ac fremitis, Dei consilium est,

Isaia 46.

v. 10.

Deut. 32

v. 68.

Psa. 67.

v. 14.

2. Tim. 1

v. 12.

Isai. 8.

v. 10.

est, & meum quoque est; aut non est, & in irritum cadet. Ea igitur distinctione freti, sinemus mundi hujus filios suis artibus & consilijs omnia temperare, ac miscere; nos, etsi vinctis manibus, at mente libera semper ante eos stabimus, nihil solliciti, nequa eorum vel fraude circumveniamur, vel violentiâ opprimamur. *Meum est consilium, dicit Dominus, mea est prudentia, mea est fortitudo.*

Prov. 8.  
v. 14.

## CAPUT VIII.

*Fortiter, Cautè, & Humiliter  
in omnibus negotijs esse agendum.*

**P**Rincipes autem Sacerdotum & omne concilium quarebant falsum testimonium adversus Jesum, ut eum morti traderent, &c. Apud Annam Dominus professus est, publicè se docuisse, & in templo ac Synagoga vitæ instituendæ præcepta edidisse. Apud Caipham, Herodem & Pilatum eam doctrinam, quam verbo ediderat, exemplis luculentissimis illustravit. Quicumque igitur è spiritualis vitæ tirocinijs progressi, quæ ipsorum sunt

Matth.  
26, v. 19

muneris, agere cœperunt, huc oculos ver-  
 tant, & quæ à Domino præbentur, exem-  
 pla considerent, nihil erit quod præterea  
 requirant; proficient ea contemplatione  
 ad omnem prudentiam, omnemque pri-  
 vatæ ac publicæ administrationis periti-  
 am. Nos autem, uti instituimus, non velut  
 omnia tradentes, sed tanquam digitum  
 ad fontes intendentes, quæ præcipua sunt,  
 indicemus. Tria erunt, quæ in omni re  
 gerenda sollicitus Christi Domini sibi  
 præscribit imitator, ut Fortiter, Cautè,  
 Humiliter omnia gerat. Contemplare  
 gitur, quàm perfectè hæc tria tum apud om-  
 nes tres præstet Dominus, tum maximè  
 quàm fortiter apud Caipham, cautè apud  
 Herodem, humiliter apud Pilatum agat.  
 Nam cum in medium concilium mali-  
 gnantium venisset, & canes multi eum  
 circumdedissent, nihilque aliud quære-  
 rent, quàm falsum testimonium, quod in-  
 ter tot calumniatores deesse non poterat,  
 vide quàm imperterritus, quàm immotus  
 perstiterit, ut, postquam plurimis accusan-  
 tibus nec vox quidem ulla ab eo elici pos-  
 set, exurgens Princeps Sacerdotum cum  
 indigna

indignatione dixerit: *Nihil respondes ad ea, quæ isti adversum te testificantur?* Jesus autem tacebat. Nihil enim adversus calumnias fortius silentio; quippe ipsa se veritas efficacius tacendo prodit, quàm cum verba verbis opponuntur, & cogitur velut ex æquo veritas cum mendacio decertare. Postquam autem mutato statu quæstionis, non de repellendis calumnijs actum est, sed de veritate promenda, tum verò pari fortitudine, quàm siluerat, locutus est. *Adjuro te, inquit, per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei.* Dicit illi Jesus: *Tu dixisti. Verumtamen dico tibi, amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.* Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: *Blasphemavit.* Quàm diversa ratio agendi; prius nihil dicere voluit, & ne nutu quidem à se crimina illata rejicere; at nunc plus dicit, quàm ab eo petebatur. Prius se adeo infra homines demittebat, ut se pro reo ac magnis criminibus obnoxio haberi non renueret, nunc ita se supra homines extollit, ut ve-

lit non modò Dei Filius agnosci, sed etiam rerum omnium Moderator ac Judex æstimari. Nimirum aliter agendum nobis est in nostra, aliter in Dei causa: in nostra enim licet nobis silere, licet negligere, & plerumque eò innocentiores habemur, quò sumus in tuenda nostra innocentia segniores: at in Dei causa magnos spiritus concipere oportet, magnâ confidentiâ uti. Cùm tua res agitur, tua fama, tua dignitas, tum veniat tibi in mentem Domini silentium, qui *sicut ovis ad occisionem ductus non aperuit os suum*: At cùm Dei causa, Dei gloria agitur, alia tibi suscipienda persona est, aliud specimen fortitudinis edendum. Illic summa fortitudo erat, se ovem pacatam ac mitem gerere; hîc leonis abs te fortitudo ac vis requiritur. Exere vocem, animum, robur: memento hujus Christi constantiæ, qui, cùm in medio impiorum concilio esset, nihilque certius haberet, quàm pro blasphemia accipiendum, quicquid de sua Divinitate dixisset, minimè dubitavit se Dei Filium profiteri. *Ego sum*: sic enim Marcus scribit: & præterea, quæ ipsi minimè

Isai. 53.  
v. 7.

nimè petebant, de secundo suo adventu  
 adjecit. O nostram sæpe improbitatem,  
 semper ignaviam, qui in congressibus tam  
 rarò, tam difficilè adducimur, ut de Deo  
 rebúsque divinis loquamur, ut salutaria  
 monita hominibus ingeramus. Nimirum  
 nunc mihi, nunc alteri non libet hæc au-  
 dire, nunc pudet, nunc piget, sæpe irri-  
 sio, sæpe timetur offensio. At quantò gra-  
 viora erant, quæ Christus sciebat sibi even-  
 tura, si diceret, quæ dixit, nihil tamen veri-  
 tus est, non modò se Dei Filium profiteri,  
 sed minari, se eorum judicem fore, & vi-  
 furos ipsos eum venientem in nubibus cœ-  
 li, ad pœnas reposcendas eorum, quæ  
 tunc fiebant. Hoc est ex Dei dignitate a-  
 gere, Dei Ministrum, Dei esse præconem.  
 Quid enim tibi, si disertè, si fortiter, si A-  
 postolicè loquaris, eveniet, quo non mul-  
 tò graviora Christo evenerint? Uno enim  
 ore ab omnibus conclamatum est: *Reus*  
*est mortis.* Tu ergo, ubi, quæ Dei sunt, au-  
 dacter dixeris, quid pejus, aut gravius me-  
 tuis, quàm ut mortis reus efficiare? Sed  
 fortè ludibria, non mortem times: nemo  
 majora Christo pertulit, nemo plura.



Tunc expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt, alij autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes: Prophetiza nobis, Christe, quis est, qui te percussit: Omne genus illusionum Dominus, & injuriarum tulit. Hinc discim<sup>9</sup>, tres esse in agendo Fortitudinis gradus: Primus est, silere & pati; quo salubriter utemur, cum nostra res agitur. Secundus est, contemptis periculis agere, quæ agenda sunt, ac dicere, quæ dicenda. Tertius est, ubi ea, quæ agenda sunt, egeris, & quæ dicenda sunt, dixeris, multa & gravia ab iratis & offensis hominibus pati. Hujusmodi autem fortitudinis exempla nobis tota Christi Domini Passio dabit. Discamus nunc eodem Magistro, cautè agere: nihil enim magis in vita necessarium inter tot laqueos errantibus, à quibus evadere instar prodigij sit. Docuerat nos Dominus cautè agere: *cavete*, inquit, *ab hominibus*. Non ab hostibus publicis, aut à privatis adversarijs tantum; non à collegis, à rivalibus, à competitoribus, inter quos æmulatio esse potest, sed ab amicis, à cõsanguineis, à fratribus, à filijs, à parentibus,

*Math.*  
*10. v. 17*

uno verbo ab hominibus, & quia tu ipse homo es, cave à te ipso. Admirabilis sapientiae præceptum: etenim nihil nos minus solebamus, quàm ab hominibus vulgò cavere, nisi cum eos vel odium, vel ratio alia suspectos nobis reddidisset. Cavebamus à feris, à tempestatibus, à cæli marisque injurijs, à subitis casibus; ab hominib<sup>9</sup> homini cavendum, nemo putabat. Atqui sapientissimus Dominus, cetera negligens, ab hominibus cavere nos jubet; quippe illa corporibus nocent, hi animæ simul & corpori insidiantur. *Fra-* Ephes. 5.  
*tres*, inquit Apostolus, *videte quomodo* v. 15.  
*cautè ambuletis*: ac si diceret, nolite putare, quòd in urbe pacata agatis, vobis omnia esse secura: attendite vestris gressibus, & *ponite corda vestra super vias ve-* Aga. 1.  
*stras*; nolo vos pedibus, sed cordibus in- v. 7.  
 gredi, nec tantùm considerare, quo loco pedem figatis, sed postquam eum elevaveritis, quale vestigium relinquatis; hoc est, non id tantùm vobis spectandum est, an, quod facitis, ritè & ex Dei lege faciatis, sed quale vestigium deseratis, quale exemplum, qualem famã; an ijs, qui vos inse-

M §

Etari

ctari velint, vestigia relinquatis, quibus  
 vos infectentur. Cavendi igitur vobis pri-  
 ma lex esto, silentium: cum primùm e-  
 nim Dominus à Caipha ad Pilatum, à do-  
 mestico & noto homine ad Ethnicum  
 & ignotum deductus est, silere constituit:  
 non quòd ipsi deessent verba, quæ sapien-  
 tissimè proferret, sed ut nos doceret, cum  
 ad ignotos homines, aut res venitur, nihil  
 esse temerè pronuncian- dum, continen-  
 dam esse vocem, & si fieri potest, animi  
 quoque sententiam coërcendam. At cum  
 à Pilato ad Herodem deductus est, quem  
 hominem, à calliditate singulari celebrem,  
 ipse Dominus vulpem vocaverat, tum ve-  
 rò obfirmatiùs & constantiùs siluit. *In-  
 terrogabat, inquit, eum multis sermoni-  
 bus; at ipse nihil respondebat.* Quid nos  
 facere oportet, cum ad hujusmodi homi-  
 num congressum ventum fuerit? Aude-  
 mùsne fidere ingenio atque argutijs no-  
 stris, cum ijs miscere sermones? Audax, ac  
 temerarium consilium. Sapientiæ ipsius  
 exemplo discamus, sapere, & silere: tanta  
 enim ejusmodi hominum versutia est,  
 tanta in struendis dolis, neccendisque  
 laqueis

*Lucæ 13.  
 v. 32.*

laqueis calliditas, ut, si fieri posset, ijs sapientia ipsa caperetur. Quò tecum agunt blandiùs, quò pluribus te laceſſunt & provocant ad loquendum, eò tibi certior ſiteorum prava mens, & virulentus animus. *Ne credas multis verbis illius; ex multa enim loquela tentabit te, & subridens interrogabit te de absconditis tuis. Immitis animus illius conſervabit verba tua, & non parcat de malitia, & de vinculis. Cave tibi, & attende diligenter auditui tuo: quoniam cum ſubverſione tua ambulas.* Sed ſpernar, inquis, tacens, & nimia ſæpe cautela periculosa eſt, dum, qui loqui timet, in gravius malum ſilendo incidit. Eſt quidem, ut ait Sapiens, loquendi ac ſilendi diſcretum tempus, ac certum: ſed tu memineris, rarò loquendi tempus advenire, cum ſilere te nihil prohibet; ſilentij enim tuta poſſeſſio. Neque verò facilè ille contemnitur, qui ſilet: ſpernit magis ille, quàm ſpernitur, qui, cum multa audiverit, nihil ipſe de ſuo proferre dignatur. Aulicæ verò impudentiæ eſt, ut, ne ipſa aliquid notæ ſubiſſe dicantur, eam ultro alijs adſcribant. Cum tu  
ſilens

Eccle. 13  
v. 14.

silens contemneris, scito, id astu quodam  
 fieri, quòd illi, qui se contemni silentio tuo  
 vident, ne id fateantur, contemptores po-  
 tiùs videri volunt. Vidit Herodes, se ludi-  
 brio habitum, cui multa sciscitanti nihil  
 responsi datum esset; id ne intelligeretur,  
 videri voluit ipse potiùs sprevisse; at si-  
 quis ejus animum subire potuisset, & pe-  
 ctoris arcana judicium rimari, certè vidisset,  
 nihil eum tale de Domino cogitare, sed sa-  
 pientissimi eum viri, atque fortissimi loco  
 habere, qui, cùm ad Regis conspectum ve-  
 nisset, nec spe gratiæ principis, nec immi-  
 nentis periculi terrore adigi potuisset, ut  
 ad interrogata responderet; ingentis pro-  
 fectò animi signum esse, tam firmo &  
 constanti vultu omnes Regis interrogatio-  
 nes, omnes Judæorum calumnias, uno si-  
 lentio reiecit: indutum ergo veste alba  
 remisit. Hac veste indui solebant, qui ma-  
 gistratum peterent, unde & Candidati vo-  
 cabantur: videtur ergo, Herodis ex  
 veste judicium indicari, si dica-  
 mus, idcirco vestem candidam ei datam,  
 quòd eum, qui tam strenuè filere didicisset,  
 ad quamvis magnos magistratus gerendos  
 aptum

aptum esse censeret. Mens enim taciturna, & sibi constans, nec facilè se ad exteriora diffundens, & sibi & alijs scit præesse, & qui linguæ moderari potest, huic nullius imperij administratio difficilis erit. Sed fuerit sanè, nam ita fuit, vestis illa ludibrii simul & innocentia signum, ut morte, quo Principes loqui solent, Pilato significarit Herodes, in hoc homine neq; criminis se, neq; sapientia quicquã reperisse, & cum utroq; eum nomine antè celebrari audisset, nunc famam utraq; damnare. Præstat ex aula cum stultæ innocentia famam egredi, quàm cum facinorosa calliditatis infamia. Nihil nos igitur cum hominibus agentes majus optabimus, quàm ut, cum nullo verbo nos capere potuerint, liberos dimittant; vel cum contemptu. Cæteras cavendi artes brevitatis sermonis, & circumspecta moderatio in omnibus Domini verbis, facilè, si intueamur, ostendet. Tertia lex agendi esto, Humilitas: verendum enim esset, ne, dum Fortiter, & Cautè agere volumus, elatè nimum ac superbè ageremus. Ergo hic tibi tertius limes esto, nihil ut agas, nisi ex demissionis,

nis,

nis ac modestiæ præscripto. Humilis cautio, subjecta & modesta sit fortitudo. Quid hujus virtutis in Passione Domini tibi exempla commonstrem, cùm ipsa Passio nihil aliud fuerit, quàm summæ demissionis ostensio? *Humiliavit semetipsum usque ad mortem*: quò ad mortem accessit propiùs, eò majora edidit humilitatis exempla, quæ nos & contemplari attentè oportet, & solerter imitari.

## CAPUT IX.

*In bonis utilibus conquirendis conservandisque, maximè cautionem esse adhibendam.*

*Matth. 27. v. 3.* **T**unc videns Judas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentiâ ductus retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & Senioribus, dicens: *peccavi tradens sanguinem justum. At illi dixerunt, quid ad nos, tu videris: & projectis argenteis in templo, recessit, &c. usque ad illud. Emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum. Ad vitæ viæque Illuminativæ institutionem nihil aliud*

aliud pertinebat, quàm Virtutes primùm acquirere, deinde earum usum atque exercitiũ, & , ut loquimur, praxim adipisci. Virtutum quidem contemplationẽ Hortus Gethsemani nobis dedit: praxim deinde didicimus, primùm generatim, deinde tribus præceptis, cuius actioni congruentibus, designatis. Nihil aliud superest, nisi ut, quoniam omnis humana actio bonum aliquod spectat, bonum autem triplex est, Utile, Jucundum, atque Honestum, quæ sit in singulis ex perfecta virtute agendi norma, discamus. Videtur autem maximè in bonis Utilibus Cautio, in Jucundis Fortitudo, in Honestis Humilitas sectanda; ut ita omnium actionum certas regulas, quibus dirigantur, habeamus. Utilium bonorum quàm sit periculosa cupiditas, Apostolus docet, qui eam omnis peccati dixit esse radicem: multò autem apertius id Judæ miserrimum ostendit exemplum. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli*, idem dixit Apostolus. Expertus est hoc Judas, qui cupiditate opum ad tentationem prius Domini prodendi adductus est, deinde adactus ad laqueum. Ut

igitur

2. Tim.

6. v. 20.

2. Tim.

3. v. 7.



igitur ea pericula vitemus, cautè cum ea cupiditate agendum est. Beatiores ac tutiores illi sunt, quibus cum hac fera nihil commercij est, qui paupertate perpetuam eam ab se abegerunt: sed quibus res familiaris aliqua retinenda est, multoque magis, quibus provinciæ aut regna sunt possidenda, ijs grave cum illa ac periculosum negotium est. Nam longè alia consuetudo est hujus feræ, ac cæterarum: alii tibi objectu mansuescunt, atque, ubi ventrem expleverint, mitiores fiunt; hæc quò plus vorat, eò & famelica est magis, & saviva; crudelitatem in ea saturitas, non famines, exacuit. Neminem ex Apostolis ad prodendum Dominum cupiditas allexit, nisi Judam, qui tamen unus, cum loculos haberet, possètque ex ijs, uti faciebat, furtim multum decerpere, non videbatur eò parricidio egere ad sedandam cupiditatem: sed in cæteris, quia nihil possidebant, nihil cupiditas potuit, in Juda, uti jam pridem cœperat, ita eò usque deducta est, quò potest scelus & nefarius conatus in pessimum facinus erumpere. Tria igitur in hac cupiditate caveamus: primùm, ne quid injustè

injustè possideam<sup>9</sup>. Deinde ut, siquid inju-  
 stè adepti sum<sup>9</sup>, id ritè ac bene restituam<sup>9</sup>.  
 Tertiò, ut, quod justè possidem<sup>9</sup>, id piè atq;  
 utiliter aut retineam<sup>9</sup>, aut in usus opportu-  
 nos vertamus. Et, quod ad primum atti-  
 net, coërcenda in nobis est plurimùm pos-  
 sidendi cupiditas, vel hoc Judæ proditoris  
 exemplo: violentissima in nobis est Utili-  
 um bonorum cupiditas, & longè violen-  
 tior, quàm vel honestorum, vel jucundo-  
 rum. Etenim sæpe, jucunda nē appeta-  
 mus, honestas obstat, & vicissim, ne ho-  
 nesta cupiamus, impedimento est, quòd  
 ea non sint, plerumq; jucunda. Utilia verò  
 cùm nulli bono pugnent, & ad utrumque  
 conducant, ac sæpe necessaria sint, liberi-  
 ùs, ac fortius appetuntur: quodammodo  
 enim in ipsis omne bonum se reperturum  
 voluntas nostra sibi pollicetur; hinc toto  
 impetu, ac pòdere in ea incūbit, ac ruit. Ni-  
 hil dici maj<sup>9</sup> potest eò, quod Apostol<sup>9</sup> dixit,  
 avaritiam idolorum servitutem vocans.  
 quòd scilicet aurum idoli instar sit, cui se  
 totos avàri devovent, in quo totam spem  
 suam collocant, & cui Deum ipsum post-  
 habere non dubitant. Mirum est, quod  
 N dicam,

Colos. 3.  
 vs.

*Inda.*  
v. II.

dicam, tria in Sacris litteris adnotari celeberrima exempla cupidorum, quorum unus Patrem, alter Filium, tertius Spiritum Sanctum conatus est vendere. Primus fuit Balaam, qui, ut in Catholica epistola dicitur, mercede effusus, Deum Patrem ab Hebræis ad Moabitas conabatur avertere. Secundus Judas, qui re ipsa Filium Dei Judæis vendidit. Tertius Simon Magus, qui, Spiritum Sanctum ut vendere posset, emere prius à Petro cupiebat. Hic ergo multò aptiùs exclamabimus, quàm ille olim Poëta: quò non mortalia peritura cogis auri sacra fames? aut quid erit avaritiæ sacrosanctum, quæ nullam personam omisit augustissimæ Trinitatis, quam non vendere conaretur? Cùm ergo ea sit cupiditatis hujus improbitas & vehementia, sollicitè & cautè agere oportet, qui aliquem ei locum partemve in se dare constituerint, ne, si Angulum ei dederint, totam domum sibi vendicet. Quid aliud historiæ memorant quàm cupidatis ausus, scelera, parricidia? Ut mirum sit, eos, qui hæc legunt, cum horrorem inde ac fugam ejus affectus discere deberent, oppositum discere, & per illud

illud iter ruere, quò vident tam multos ab-  
iisse præcipites. Nos autem hoc unum Ju-  
dæ spectemus exemplum, qui pretium re-  
demptionis humanæ ausus est vendere, &  
ob quem omnia antè dimiserat, illum tri-  
ginta argenteis æstimare. Quoniam au-  
tem omnes, qui lethale peccatum admit-  
tunt, Christum velut hostibus suis tra-  
dunt, sollicitè pensandum est, quantum  
fit scelus, & quàm simile Judæ parricidio,  
ob quamtuncunque terræ partem cœli  
terræque Regem & Conditorem à se ab-  
dicare, & quantum in eo est, qui id facit,  
Judæis crucifigendum rursus addicere. Ita  
discemus cautè agere in rebus alienis ad nos  
pertrahendis. Caveant Principes, qui tan-  
tò in his faciliùs, quantò graviùs peccant;  
neque enim ipsi tantum Judæ crimen imi-  
tantur, quantum Hebræorum Principū,  
qui eundem Dominum Pilato tradidère,  
veriti, ne, nisi id facerent, venirent Roma-  
ni, & locum eorum ac gentem occupa-  
rent. Scelesta providentia, & non minùs  
verè dixerim, Funesta Prudentia! quæ in  
id semper incidit, quod timebat, & nullâ  
aliâ viâ citiùs periculum incurrit, quàm

eâ ipsâ, quâ id conabatur evadere. Verùm ubi seu tuâ, seu fortè alienâ fraude, res aliena apud te fuerit, tunc tibi summa atque una cura esse debet, ut quàmprimùm & quàm integerrimè eam Domino repræsentes. Vulgare dictum est: Res aliena clamat ad dominum; nec tantùm ad hominem, qui eam priùs possidebat, sed multò valentiùs ad Deum. *Ecce, inquit Jacobus, merces operariorum, quæ fraudata est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* Non temerè positum est: *in aures Domini Sabaoth*, id est exercituum, quò scias, non defuturos illos satellites, si privatus es; exercitus, si Princeps, quibus & rem, quam occupâsti, domino reddat, & te in jus ad suum tribunal trahat. Denique tantus est rei clamor alienæ, ut eum ne Judæ quidem conscientia ferre potuerit; quin statim argenteos manillas quæ sitos referret, & cùm non reciperetur, in templo projiceret. Atque is quidem non tam malè partam pecuniam dominis restituit, quàm factum infectum reddere voluit, & animò perturbatò, quæ viâ tanto se scelere exonerare posset, non videt.

*Jacob. 5.  
v. 4.*

vidit. Nam quia scelus suum vendiderat, pecuniam abominabili lucro suam fecerat, quare & agrum, quem ex illa emere Judæi, B. Petrus meritò ait Judæ fuisse, licet is nunquam eum emerit, nunquam eò frui potuerit. *Possedit, inquit, agrum de mercede iniquitatis.* Tam gravis est pecunia malè quæ sita, ut, etiamsi ea jam parta sit, & in possessionem veram propriamque transiverit, nemo tamen eam ferre, ne Judas quidem possit. Quis ergo non eos Judæ dicat esse peiores, qui rerum, quarum nunquam nec jure, nec injuriâ, nec virtute, nec scelere domini effecti sunt, occupatam semel possessionem dimittere cunctantur? Ne illi quidem, quibus religio non erat, Christum necare, projectam pecuniam saltem eo nomine, quòd certò dominò careret, sibi usurpare voluerunt, et concilio inuito dixerunt: *non licet eam mittere in Corbonam, quia pretium sanguinis est.* Non negligenda sententia, et si malos habuerit auctores. Non licet tibi alieno sumptu pium esse, non placent Deo munera, quæ de inopum prædis offeruntur. Quæ pietas esse in eo potest, qui au-

Act. 1.  
v. 16.

rum, quod Deo offert, pluris quàm Deum ipsum facit? nisi enim pluris faceret, Deo jubente id Domino redderet; nunc autem id retinens Deum ipsum videtur in suæ rapinæ societatem velle pertrahere. Tertia restat pars longè utilissima, opportunus horum bonorum usus. Ac Judæi quidem pretiò, quò Christi proditio constitit, agrum emerunt in sepulturam peregrinorum. Nullius bonæ rei symbolum esse potest is ager, qui tam scelestò pretiò à tam scelestis emptoribus comparatus, à Domino longè scelestissimo possidetur. Sane, cum hic Ager sanguinis vocetur, & Sanguis in sacris litteris peccata significet, jure dicemus, hoc agro indicari peccandi opportunitatem, quam sibi homines nefarij opibus comparant. In id enim maxime divitiæ optantur, ut ijs vel delitiæ voluptatum, vel honorum pompæ vaneant. Nam qui veriores videntur esse peregrini, quàm cupiditates, quæ à natura hominis & rectæ conditione rationis alienæ, mentem improvise adeunt? Ejusmodi peregrinus de via venit ad David, quem ille ut exciperet, ovem unicam pauperi ademit, eam.

eamque mastravit. O importunos & rejiciendos peregrinos! Cum ergo ejusmodi cupiditates externis operibus explentur, immoritur cupiditas: ita optimè is ager ad sepulturam peregrinorum dicitur comparatus, quòd opum quærendarum studium eò maximè tendat, ut per has cupiditates expleantur. Hic autem pecuniæ usus dignus est Judâ, dignus Christi occisoribus Judæis. Aliud pia mens, aliud bene institutus animus cogitabit. Quid igitur opibus faciendum est? Unò verbò dicam, quod his fieri vult, qui tibi eas credidit. Initium hoc est & veluti fons, bene rem familiarem & publicam administrandi, minimè se Dominum putare, sed Dei administratorem & œconomum. Illi enim dicimus: Tu solus Dominus: & ipse ait: *Meus est enim orbis terra & plenitudo ejus.* Site œconomum cogites, & eorum, quæ habes, redditurum esse rationem, minimè timendum est, ne opibus vel ad lasciviam, vel ad jactantiam, vel ad vindictam abutaris. Non cadent fame prope horrea tua pauperes, nec prope instructum vestitium nudus algebit, non ruent templa, te

Psa. 49.

v. 12.



domum splendidam incolente, nec reipublicæ necessitatibus, te divite immuni, subveniet inopia sola miserorum; sed quoties horum aliquid agendum erit, ærario manum injiciens dices, *Dominus his opus habet.*

## CAPUT X.

*In bonis iucundis vel arcendis  
vel moderandis fortitudinem ex-  
ercendam.*

**T**unc ergo apprehendit Pilatus Jesum & flagellavit. Hoc brevi compendio Joannes, nec brevem, nec levem cruciatum descripsit, quò rotum Domini corpus magna acerbitate laceratum est. Brevisitas autem hæc utilitate non vacat, ut inde discamus, quicquid hîc pati possumus, breve esse. Momentaneum hoc & leve, aiebat Paulus, tribulationis nostræ, quod patimur. Nemo igitur horribili specie dolorum, ægritudinum, cruciatuum, quibus nos flagellari oportet interdum, deterreatur, cùm videat, ea tam brevî esse finienda. Sed Paulus in jis omnibus, quæ

patie-

patiebatur, brevitatem simul & levitatem contemnebat; neque enim tantum, quæ patimur, citò transeunt, sed ipsa sunt levissima, &, si velimus viri esse, toleratu facillima. Ecce, quæ Christus Dominus acerbissima & gravissima passus est, Flagella vocantur, velut exigua Flagra, desumpto nomine à tenerrimis arborum ramusculis, quibus pueri subinde objurgantur. Nimis delicata constantia est, quæ tam exiguis malis vincitur, & quo pacto ingentem crucis trabem feret, qui tam exilia flagella non tulerit. Hac igitur duplici consideratione firmatis animis adversus hujusmodi acerbissimum ac pœnarum horrorem, Salvatoris exemplò corpus nostrum flagellare discamus. Nam quæ injucunda & aspera corpori accidunt, duplicis sunt generis: alia, quæ corpus mutilant, aut aliqua sui parte lædunt, cujusmodi est fractio membri alicujus aut sectio, atque hæc nos ab alijs, aut à Deo ipso casu aliquo, vel morbo illata debemus ferre patienter, non tamen inferre possumus nobis ipsis; neque enim nostri corporis domini sumus: alia, quæ integris membris, & nulla corporis facultate violata sensum

tantum doloris afferunt, vel nimiam virium ferociam atterunt, quæ nostrum quisque sibi ipsi inferre potest. Ad utraque constanter & cum animi alacritate subeunda nos Domini firmat exemplum, magis autem ad hæc, quæ sponte suscipienda sunt, confirmari nos oportet. Spectemus igitur, quid in Prætorio agatur. Accusant Judæi. Pilatus è Judice fit patronus, & modò causæ æquitate proposita, modò diei festi oblata opportunitate Dominum eorum furori conatur eripere. Sed nihil proficit: Succlamatur, *Crucifige, Crucifige!* Consilium Pilato acerbum ac sævum obtulit ipsa miseratio. *Corripiam eum,* inquit, *& dimittam.* Tunc apprehendit *Jesum, & flagellavit.* Nostra sunt hæc: nostrorum enim criminum causa tunc agebatur, & nostro nomine Dominus reus apud Pilatum causam dicebat. Cogitemus, ante divinum Tribunal stare nos reos, & ingentem, seu dæmonum, seu criminum nostrorum turbam perpetuò clamare: *Crucifigatur.* Sanè alia nostra est causa, quàm Christi fuit; neque enim de nobis Deus respondere poterit: *quid enim*

*malè*

*mali fecit* : multa, eaque non levia deliquimus omnes. Saluberrimum igitur ac mitissimum consilium erit, si dicat : *Corripiam illum, & dimittam. Corripiet me sanè justus Dominus, in misericordia, & increpabit me, flagellans Filium, quem recipit, potius, quam ut Oleum peccatoris impinguet caput meum, hoc est, ut voluptas & ignavia animum meum deliniant.* Sed sæpe eò Domini misericordia devenit, ut nolit nos ipse punire, sed nobis nostri puniendi relinquat arbitrium, ut, qui rei sumus, iudices esse videamur. Magni id beneficium æstimandum est, neque committendum, ut ea postea re abusi, dum minus in nos animadvertimus quàm nostra errata exigerent, graviùs à iudice deinde vapulare mereamur. Sed horror quidam obstat : *nemo enim carnem suam odio habet, sed nutrit ac fovet illam.* Ego in me ipsum saviã ? ego mihi ipsi ictus doloris infligam ? Quid ni ? ut majora & graviora vites. Non temerè Dominus flagellatur, sed ut mortem evadat. Tu igitur, quoties hic te suscipiendæ alicujus acerbitatis horrot invadit, majorem tibi ante oculos

Psa. 140

v. 5.

Heb. 12.

v. 6.

culos statue mortis horrorem, &, ut dicitur  
 solet. clavum clavo pelle. Mors autem du-  
 plex est: altera, quæ poena est, æterna dam-  
 natio; altera, quæ culpa, peccatum. Ultra-  
 que poenarum voluntaria susceptione vi-  
 tatur. Quare sic apud te argumentare: si  
 fortis & constans sum, quod proprium est  
 fortium, dura & acerba tolerabo; si timi-  
 dus & imbellis, quod horum est propri-  
 um, mortem æternam, &, quæ eam com-  
 mitantur, æterna supplicia timebo. Nihil  
 est, quod me possit ab hac voluntaria cor-  
 poris castigatione prohibere, ad quam for-  
 titer strenuèque subeundam ipsa me cor-  
 poris mei cura, ipsa animi imbecillitas ad-  
 juvabit. Quid cesso in meipsum animad-  
 vertere? En, quot adversarios, quot accu-  
 satores habeo, qui me ad supplicia gravio-  
 ra deposcunt: minore hoc majora illa re-  
 dimentur. A duplici ergo morte nos libe-  
 rabit corporis afflictatio, Culpæ, & Poe-  
 næ. Clamant enim adversarij nostri non  
 semel, sed bis, *Crucifige, Crucifige*. Nam  
 & ob vetera nostra commissa non leves  
 poenas meremur, & ob nostram ad mala  
 proclivitatem, pravosque habitus & pro-  
 pens.

penfiones in culpas graves proni fumus. Si habes, quod luas ob vitæ antea actæ peccata, quid dubitas prævertere iram iudicis, & teipsum plectere, priusquã ab ipfo plectaris? Tria enim lucratur, dum potiùs ipfi nobis pœnas aliquas inferimus, quàm illatas à iudice sustinemus: primum, quòd minùs patimur; exigua enim satisfactio sponte suscepta magnis supplicijs irrogatis par est, deinde quòd honorificentius ac nobiliùs; nemo enim, si possit, non libenter evadit manus tortoris, & nomen rei atque damnati; quisquis autem seipse plectit, is non tam reus, quàm iudex videtur, & magnanimitate hac adeò pristinam vilitatem & ignaviam emendat, quã corpori priùs obedire non erubuerat, ut non tam ipsius fuisse videatur, quòd antea deliquerit, quàm corporis; postremò ex culpa ac detrimento, gloriam & lucrum sibi comparat; nam ita vulnera accepta curat, ut pulchrior sit, qua parte saucius fuerat, quàm reliquo corpore, quò nunquam laboravit. Mitto nunc, quòd amorem in Deum ostendat, cujus placandi studiò, ac recuperandæ amicitie desiderio sibi ipse non

non

non parcit, ut proinde necesse sit, Deo id esse gratissimum & suavissimi instar holo-  
cauti, quod igne amoris incenditur. Cui & illud accedit, quòd, cùm Deus nihil il-  
libentius faciat, nihil minus ex more, &  
ut ita dicam, genio suo, quàm cùm sævi-  
re in noxios, ac de ijs pœnas sumere cogi-  
tur, necesse est id illi evenire gratissimum  
& jucundissimum, cùm quis eam mole-  
stam, ut ita loquar, sæviendi necessitatem  
illi eripit, & facit, ut, quod invitus Deus  
paulò post fecisset, id sibi præreptum &  
præoccupatum libentissimè spectet, sibi  
gratulante justitia, quòd ejus severitatem  
caritas anteverterit, & suavissima esse fe-  
cerit amoris vulnera, quæ futura erant  
odij justæque vindictæ acerba supplicia.  
Mittamus hæc tamen, & ad commodam il-  
la veniamus, quæ tibi afferet in te ipso cor-  
poris castigatio sponte suscepta. Ferunt,  
ij, qui brachium aliquando aut tibiam  
fregerint, si ea restituatur, solidiorem in  
posterum esse, qua parte fractura coaluit,  
ut, si iterum eam frangi contingat, nun-  
quam eadem in parte frangatur: esto id,  
ut quis volet; certum est, nulla in virtute

nos esse robustiores, quàm in ea, quam poenitentia restituumus, nam & malò nostrò doctiores ad pericula cavenda facti sumus, & pudore præteritæ culpæ atque horrore concepto nihil ferè cautiùs vitamus, quàm quod semel nos admisisse pœnituit. Id autem longè verius est in his, quæ ad corporis commoda & voluptates pertinent: nam qui nunquam aliquid admisit, quod dolendum esset atque plectendum, is corpus suum velut amicum ac socium jure quodam suo sibi videtur posse diligere, illud Proph. tæ dicens: *in domo Dei ambulavimus cum consensu.* Sed, qui rebelle corpus expertus est, & cupiditate superante ejus commodis servire coactus aliquando fuerat, is jam idem corpus domans, ac sibi parere cogens, ut Apostolus agebat: *castigo corpus meum, & in servitutem redigo*, ex socio dominus fit; ita imperium acquirit in corpus suum, quod antea non habuerat, priùs famulo similis erat, equum fræno ducenti, nunc equiti comparandus est, equo insidenti, eúmque calcaribus & flagellis eò ire cogenti, quò recusat; fræno inde cohibenti,

*Psa. 54.  
v. 15.*

*1. Cor. 9.  
v. 27.*



Eccli. 31  
v. 7.

benti, quò præceptis ruit. Sed fortè ex ijs  
es, quos Dei clementia prævenit, ac pro-  
cul ab omnibus vitæ noxis, quæ ullam  
pœnarum subeundarum necessitatem af-  
ferrent, cohibuit. *Quis est hic, & lau-  
dabimus eum?* Sed sit aliquis Joannes Ba-  
ptista, qui sanctus antequam natus, ne  
verbò quidem unquam reus sit deprehen-  
sus: num proinde causari quicquam po-  
terit, quò minùs tam severè corpus suum  
tractet, quàm ipse, cui se innocentiam pa-  
rem credit, Joannes Baptista? Num cilli-  
cia averfari debebit? num jejunia respue-  
re? num in molli cubare? num vitare soli-  
tudines, & inter illecebras urbium & pa-  
ternæ domus oblectamenta versari? Quid  
quòd, etsi fingamus, esse aliquem ejus in-  
nocentiæ, nemo tamen id sibi de se per-  
suadere audebit. Sin hoc etiam fingamus,  
esse aliquem, cui licuerit id de se credere,  
num etiam eum tutum à periculo quis-  
quam præstitit? Hoc igitur superest, ut,  
quoniam ad præterita luenda tibi ea sever-  
itas necessaria non est, suscipiatur ad fu-  
tura vitanda. Non habes, quod lugeas,  
at, quod caveas, habes: nihil est, quod ju-  
re

replectendum putes, at est, quod censeas  
 jure metuendum. Quod geris corpus, est,  
 quod pondere ipso te deorsum trahit,  
 quod nihil aliud, quàm suas illecebras &  
 suavitates amat, quod animi officia sem-  
 per obturbat, quod, quemadmodum ip-  
 sum in mortem ruit, ita te quoque in per-  
 niciem trahit; cave cum ipso ludas, joco-  
 ris, rideas: ludus hic seria tibi pericula  
 affert; risus hic luctus tibi adducet sem-  
 piternos. Ergo memineris dicti illius:  
*Flagellum equo, & camus asino*: nec pu-  
 tes, tum tantum opus esse calcaribus, fræ-  
 nis, flagellis, cum equus ceciderit, sed  
 multò magis, dum stat, ne cadat.

## CAPUT XI.

*In bonis honorificis humilitati  
 studendum.*

**T**unc milites presidis suscipientes Je-  
 sum in pratorium congregaverunt  
 ad eum universam cohortem, & exuen-  
 tes eum chlamydem coccineam circumde-  
 derunt ei, & plectentes coronam de spinis  
 posuerunt super caput ejus, & arundinem  
 in

*Math.  
 27. v. 27*

*in dextera ejus, & genu flexo ante eum il-*  
*ludabant ei dicentes: Ave Rex Judae-*  
*rum, & expuentes in eum acceperunt a-*  
*rundinem: & percutiebant caput ejus. Et*  
*postquam illuserunt ei, exuerunt eum*  
*chlamyde, & induerunt eum vestimentis*  
*ejus. Hoc superest ad perfectum virtutum*  
 omnium exercitium. Hoc summum est  
 in Christianæ disciplinæ experimentis, &  
 meritò ultimum locum inter viæ illumi-  
 nativæ progressus, & proficientium incre-  
 menta sibi vendicat. Fuere inter Ethnicos  
 quoque nonnulli, qui bona utilia virtutis  
 causâ respuerent; fuere, qui ejusdem stu-  
 diò bona jucunda contemnerent: sed,  
 qui Honorifica seriò averfarentur, non  
 facilè est invenire. Primus id Christus  
 Dominus incomparabili exemplo docuit,  
 qui, cum esset Rex Gloriæ, omnisque  
 honor, omnis dignitas deberetur, non  
 modò homo inter homines locò abjecto  
 & humili nasci voluit, sed etiam omni  
 ignominia affici, summa cum contume-  
 lia & indignitate tractari. Duo igitur  
 bis discenda sunt: alterum, ut contume-  
 las & ignominias non putemus intoler-

bile malum esse, quin eas libenter & strenuè perferamus; alterum, ut contrà honores ac dignitates non adeò ingens bonum esse credamus, nec ijs extollamur, aut superbiamus. Utriusque rei habemus illustre in hac una Evangelica narratione documentum. Primùm hoc statuendum est, ad eam ignominiam, contemptum, contumeliam, quâ Christus affectus est, neminem unquam perventurum; nihil enim turpius fingi potest, quàm virum honestum, gravem, hæctenus pro sancto habitum, pro sapientissimo publicè auditum, pro Rege divinitus misso cultum, nunc à Pontifice sacrilegum, à Rege stultum, à Præside Cæsaris hostem judicatum, produci in medium prætorij atrium, & initiò à summa injuria & contumelia factò in conspectu omnium suis vestibus exui, & chlamyde purpurea indui, ac cætera in illum fieri, quibus nemo facile cogitans quicquam ad ignominiam & ludibrium possit adjicere. Nam ad tria illa judicia confirmanda, quæ de ipso edita erant, omnia fieri videbantur: ut sacrilegum & impium significarent, qui divinos

honores affectâisset, genu flexô ante eum se adorare simulabant; Ut stultum ostenderent, arundinem ei in manus dabant eaque caput ipsius percutiebant; Ut Regi nominis invasorem, & Cæsaris æmulum indicarent, chlamydē ei circumdederunt, & coronam imposuerunt, & Regis eum nomine salutabant. Quæ contumeliæ eò graviores erant, quò minimè in irritum cadebant: nam Christus & revera Deum se esse dixerat, & ejusmodi sapientiam docuerat, quæ stultitia est huic mūdo, & Regem se esse non occultè pronunciaverat, dum & Christum se fassus fuerat, & Hierosolymam quadam triumphi specie ingressus pueros, à quibus Rex salutabatur, adeò non objurgaverat, ut etiam reprehendentibus Pharisæis diceret, si illi taucissent, lapides eadem locuturos. At illidemum convicia nos gravissimè excruciant, quæ videmus ex vero esse ducta, & ab ijs, qui audiunt, vera existimari. Deinde ad hæc omnia illud accedebat, quò jam damnatus, & crucis supplicio addictus hæc patiebatur, quò & gravior fiebat atrocitas illius injuriæ, quæ ne moriturus

quidem parcebat, & intolerabilior ictus; quippe hoc supremo vitæ actu tanto cum dedecore inter tot probra conspici acerbissimum erat, nec relinquebatur vitæ tempus, quò hæc ignominia dilui posset, ac læsus honor restitui. Postremò ipsa solitudo ejus, qui antea sectatoribus ac discipulis semper stipatus incedebat, non levis ei dedecoris ac probri notam afferebat. Non enim frustra eum nunc ab omnibus esse desertum vulgus cogitabat, non frustra post tanta prodigia edita nullum hominum inveniri, qui pro eo verbum facere auderet: ne Jairum quidem Archisynagogum, cujus ipse filiam suscitaverat, ejus causæ patrocinari; ne Lazarum quidem, qui jam quatrìduò mortuus è sepulchro fuerat evocatus, quicquam ejus periculo moveri; ne ipsum quidem sibi opem ferre. Nam ubi illa virtus, quæ priùs vel mari, ventis, dæmonibus, morbis, nedum hominibus imperabat? ubi ille animus, illa constantia, illa vox, à qua tot populi pependerant? quam hi ipsi gentis Judaicæ Principes & Magistri semper verebantur, sæpe metuebant? Quò ista omnia evanuis-

O 3

sent,

sent, non facile quisquam è populo assequi cogitandò potuisset. Itaque necesse erat omnes existimare, non vana fuisse, quæ Pharisæi ac Legisperiti jactabant, hunc hominem nec pium, nec probum, nec sanæ mentis esse, sed Samaritanum, larvis agitatum, insanum. Quis eò usque ignominia unquam progressus est? Quando igitur omnia, quæ nos unquam pati contingeret, infra hanc sunt contumeliam, quando omnis irrisio, omnis calumnia, omnis infamia, quæ nobis infertur, & levior erit semper, & verior, quid causæ est, cur eam ferre recusemus? Verùm quia miserum est miseriarum solatium, quod tantùm à miseris spectaculo ducitur, & facile respondere quis potest, Christum Dominum ideo hæc tulisse constanter, quia inter hæc beatus, ac suæ gloriæ, quam apud Patrem æternum habebat, sibi conscius erat, & sciebat, hæc ipsa sibi ad summum honorem cessura, ac demum sua voluntate hæc omnia patiebatur, ne, inquam, ista quis suæ arrogantia ac superbia obtendat, occurrendum est. Primùm expectandum non est, ut ea omnia reperiamus

in

in Deo, quæ in nobis sunt, sed ea ipsa, quæ in illo ampliora & nobiliora sunt, faciunt, quò minùs ille se his contumelijs & opprobrijs objicere debuisset: atqui objecit se ijs, eaque pertulit. Cùm igitur ille, cui gloria idemerat, quod ejus essentia, non recusârit infamiam, cur tu eam reculas, quæ te decet, quam tu fortè meruisti? Deinde illa omnia, quæ in Christo erant, ejus ope & beneficio tu etiam quadam imitatione consequi potes. Ille inter contumelias beatus erat, potes & tu beatus esse, si voles. *Conjungere Deo, & sustine*, Ecclesiastici consilium est; id si feceris, beatus eris. Denique Christus beatos pronuntiavit, qui multa paterentur: non ergo eam beatitudinem sibi reservavit, sed nobiscum voluit esse communem. Ipse inter calumnias & convicia pacatô & ab omni indignatione procul remotô animô erat, esto & tu ipsius ope & gratiâ; Ille meminerat, hæc omnia sibi mox honori & gloriæ fore, memineris & tu; Ille volens patiebatur, volens patere & tu. Præ omnibus autem id nos armare adversus opprobria & contumelias potest, si sapienti

*Ecccl. 2.  
v. 3.*



iudicio singula expendamus, quid sit, quod  
 dicatur aut fiat, à quibus, quò animò?  
 Quid sit, verum an falsum? Si verum  
 non est, cur vero offendamur. Si falsum  
 non est, cur falsa curemus, quæ mox ma-  
 jore cum nostra gloria detegentur. A qui-  
 bus? ab hostibus? quid mirum? at nemo  
 credit. Ab amicis? quid novum? at nemo  
 laudabit. Ab inferioribus? negligendum  
 est. Ab æqualibus? ignoscendum. A supe-  
 rioribus? perferendum. Quò animò? er-  
 rore? non igitur offendamur; nemo enim  
 injuriam inferre dicitur, quam se inferre  
 nescit. Consilio? quod potest esse consilii-  
 um injuriæ injustè inferendæ? semper hic  
 error est. Condonemus errantibus, & nos  
 sæpe erramus. Summa est, ut, qui injuri-  
 am accipit, eò se sciat superiorem esse, qui  
 illam infert; nemo enim alium gravi in-  
 juria frustra afficit, sed ut deprimat, ut de-  
 jiciat, quod non faceret, nisi eum putaret  
 suis luminibus officere: nihil deprimitur,  
 nisi quod extat, nihil dejicitur, nisi quod  
 eminent. Quod si ne tū quidem dejiceris,  
 vel deprimeris, tantò eris altior ac superi-  
 or, tantòque minùs tua dignitas ejus im-  
 probi-

probitate minuetur. Indignum est, hominem ad imaginem Dei factum, animum immortalem, Dei capacem, magnis Dei muneribus ornatum, ex alieno vel errore vel affectu pendere, & hoc se putare esse, quod alter eum esse crediderit, non quod eum Deus esse voluerit, ac pluris æstimare conservi iudicium, quàm Domini beneficia. Quid mihi tecum, quisquis es, Animatum Dei opus, Dei filia, Christo cara præ sua vita, civis Sanctorum, consors Apostolorum, Martyrum, Confessorum, post non multos dies illic perpetuò futura: interea fide vivo, spe nutritior, caritate sustentor. Tu me credas, quod voles, nec, si me hoc esse credideris, mihi bene erit, sed tibi, qui verum intelliges; nec si aliud somniaveris, mihi malè erit, sed tibi, qui falsum cogitabis. Quid meâ interest, qualis tibi sim? modò Christo, modò Deo prober, modò ijs, qui Dei & Christi locum obtinent, parere non cessem, quæ mihi sit sollicitudo & cura reliquorum? Hæc tamen omnia non tanti esse debent, quanti Salvatoris exemplum, quò non modò hæc nobis minùs gravia reddi oportet,

O s

tet,

tet, sed optanda & jucundissima; quippe quibus ei similes reddamur, ad quem quò magis accedimus, eò sumus sublimiores ac diviniore. Semel statuendum est, Christum esse Regem gloriæ, cùm id constiterit, facilè apparebit, in eo veram gloriam, honorem, dignitatem sitã esse, ut quàm simillimi ei simus. Quodsi ita de gloria sentiamus, verendum non est, ne aut honores humanos, dignitatésque avidius expetamus, aut ijs efferamur & superbiamus. Nam, qui meminerit Christum Dominum, cui nihil ad perfectionem humanæ vitæ defuit, omni ejusmodi externa gloria ac dignitate caruisse, is certum ducet, nihil illis additis homini perfectionis accedere, nihil adeptis decedere; imò cùm ea, quæ his opposita sunt, adeò Christus adamãrit, volueritque eos, qui ipsum sequuntur, his maximè gaudere, mœroris ac tristitiæ potiùs materiam præbebunt viro cordato ac Sapienti honores ac dignitates, quòd se videat, ea re à Domini imitatione abduci, quàm gaudij ac lætitiæ. Nec quisquam erit excelsi animi vir, & perfectionis Christianæ amore dignus, quin

quip-  
quem  
subli-  
ndum  
am id  
veram  
esse, ut  
ita de  
t, ne  
avidu-  
super-  
istum  
n hu-  
terna  
m du-  
tionis  
o cum  
ristus  
m se-  
eroris  
ebunt  
ac di-  
omini  
lati-  
ni vir,  
gnus,  
quin

quin seriò hos honores spectans putet, eos  
vana figmèta honoris, & vera esse ludibria.  
Nam, & qui positò genu supplices ac ve-  
nerabundi alicui accidunt, sæpe eundem  
clam irrident, & , cui dicunt: Ave Rex,  
ei sæpe alapas infligunt, & ut hoc non  
sit, certè, qui ab alijs honorari magni  
æstimant, ij, quibus se anteferre cupiunt,  
eorum solis cogitationibus putant se fieri  
posse majores. Nos igitur hæc vana missa  
facientes, veram gloriam ex Christi

Domini imitatione quæra-  
mus.



INSTI-



INSTITUTIO  
VITÆ AD  
EXEMPLAR

PASSIONIS DOMINI  
& *Salvatoris Nostri*

LIBER III.

*Hebr. 13  
v. 13.*



*Exeamus igitur cum eo extra castra improprium ejus portantes. Posteaquam diu velut in castris nos exercuerim⁹, & multum in hac spirituali militia, Domini, quæ sectamur, exemplō & gratiâ profecerimus, exeundum est, & in apertam aciem progrediendum. Accepimus armaturam Dei ut possimus in omnibus perfecti stare. Stemus ergo succincti lumbos nostros in veritate, & induti lorica justitiæ, & calceati pedes in præparatione Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in*

*Ephe. 6.  
v. 14.*

*quo*

quo possimus omnia tela nequissimi ignea  
extinguere, & galeam salutis, & gladi-  
um spiritus, quod est Verbum Dei. Ita in-  
structus armis & cataphractus progreditur  
Veteranus & Triarius Christi, Vir Perfe-  
ctus. Vitæ igitur Perfectæ, cum neque co-  
gnitio virtutum neque earum exercitatio  
propriæ sint (eas enim Vita proficiens ve-  
lut proprias sibi vendicat) nihil aliud supe-  
rest, quàm excessus ille, quem Dominus  
complevit in Hierusalé, de quo sermo erat  
in Transfiguratione, quando inter Eliam  
& Mosem positus sapientiam loquebatur  
inter perfectos; deinde Beatitudo, quæ omné  
cujusque rei perfectionem pro cuiusque  
natura consequitur. Licet enim omnia,  
quæ proficientes exercent, perfecti quo-  
que peragant, & nemo ita perfectus sit,  
quin possit semper ad altiora proficere (ut  
Paulus quoque dicat, non quòd jam com-  
prehenderit, aut perfectus sim) tamen,  
qui gradum aliquem perfectionis attige-  
runt, virtutum opera cum quodam ex-  
cessu faciunt & in ijs eam experiuntur fa-  
cilitatem & jucunditatem, quæ beatitu-  
dini similior est, quàm labori. Vitæ igi-  
tur

222 DE PASSIONE DOMINI.  
tur Perfectæ, ac Viæ Unitivæ præcepta  
sunt Undecim.

I.

Exeundum esse de mundo, & portandum  
improperium crucis.

II.

Primam beatitudinem Perfectorum esse  
Paupertatem spiritûs.

III.

Secundam beatitudinem esse lenitatem  
& mansuetudinem, maximè cum ini-  
micis.

IV.

Tertiam beatitudinem esse luctum assidu-  
um ob nostra & aliena peccata.

V.

Quartam beatitudinem esse Famem & Si-  
tim propriæ alienæque justitiæ.

VI.

Quintam beatitudinem esse caritatis ac  
misericordiæ in omnes sollicitam ex-  
hibitionem.

VII.

Sextam beatitudinem esse munditiem cor-  
dis, innocentiam & simplicitate con-  
stantem.

VIII.

## VIII.

Septimam beatitudinem esse perfectam pacificationem.

## IX.

Octavam beatitudinem esse, constanter Deo adherere in adversitatibus ac persecutionibus.

## X.

Beatos esse, qui in Domino moriuntur.

## XI.

Conservanda esse verba hæc in Domini monumento, in quo & animam nostram Domino consepeliri oportet.

## CAPUT I.

*Exeundum esse de mundo, & portandum improperium crucis.*

**E**t bajulans sibi crucem exivit. Hucusque proficientium status: quæ sequuntur, Perfectorum sunt. Viâ Illuminativâ progredimur, usque dum ad Crucis amplexum deveniamus, in quo Unitiva perfectio est, quâ dicit quis cum Apostolo: *Christo confixus sum cruci.* Post

Ioan. 19  
v. 19.

Gal. 2.  
v. 20.

varia



varia examina, diversa tormenta, plura  
 ludibria producit ad populum Dominus,  
 & dicitur: *Ecce Homo*. Post multa expe-  
 rimenta virtutum, post omnia & homi-  
 num, & dæmonum tentamenta supera-  
 ta, post opes contemptas, voluptates  
 spretas, honores conculcatos, Dei servus  
 ad populum produci potest, ac dici: *Ecce  
 Homo*. Ecce verus Dominicæ Passionis  
 imitator. Quid ergo superest, nisi ut mor-  
 te damnetur? Statim igitur atque aliquis  
 eò pervénit, inter eos esse incipit, qui mor-  
 tui mundo, quotidie tamen moriuntur.  
 Optandam mortem, & quamvis locuple-  
 ti, quamvis jucundæ vitæ præponendam.  
 Mortui enim sunt, & vita eorum abscon-  
 dita est cum Christo in Deo, ac dicuntur:

*Col. 3.*

*v. 3.*

*Psal. 43.*

*v. 22.*

*Propter te mortificamur tota die, estimati  
 sumus, sicut oves occisionis.* Corpori qui-  
 dem ultimum terribilium est mors, quæ  
 sejungitur ab anima, &, quicquid ab ea  
 boni habebat, amittit. Animæ verò ulti-  
 mum desiderabilium est hæc mors, quæ ab  
 ea sui parte sejungitur, quæ sensum & in-  
 feriora atque exteriora tantum spectat:  
 conjungitur autem Deo, per quem, & in  
 quo

quo vivere incipit, & simul omnia mala amittit, quæ ei proveniebant è sensuali vita, & omnia bona acquirit è vita spiritali ac divinâ. Sedit ergo Pilatus pro tribunali in loco, qui dicebatur lithostrotos; non frustra nomen hoc adnotatur, quod significat stratum lapidibus pavementum: nam ubi tanta pavimenti cura est, ubi tota ars, labor, industria est in ijs, quæ humi sunt, componendis & ornandis, si Christus damnatur, ibi Vita perfecta mors putatur. Audi clamores vulgi insipientis: *Tolle, tolle, crucifige eum!* dum dicunt: *tolle*, satis ostendunt, crucem non esse aliquid humile, sed sublime & cæleste, & Pilatus statim ait: *Regem vestrum crucifigam?* qui enim eò perfectionis pervenerunt, licet ab omnibus insectationes ac damna patiantur, tamen jure possunt dici eorû Reges, qui eos persequuntur; nihil enim illi agunt, quod non eorum commodis, dignitati & gloriæ serviat: ita, quot persecutores quis habet, tot habet subditos ac famulos, qui, quò magis infensi & molesti sunt, eò diligentius ei serviunt. *Major serviet minori*, dictum est

P

de

Gen. 15.  
v. 23.

de Esau & Jacob, & tamen Esau nulla re  
fratri deservire visus est, nisi eum insectan-  
do, ac toties ad necem quærendo. Sequitur  
in Evangelio Joannis: *Susceperunt autem  
Jesum, & eduxerunt.* Nonne famulo-  
rum & stipatorum officio funguntur?  
Exeamus ergo & nos cum Domino, Apo-  
stolo etiam hortante, Improperium crucis  
portantes. Ne verò hæc horribilia voca-  
bula improperij, & crucis nos deterreant,  
quò minus libenter exeamus, adverten-  
dum est, nomina ex vulgi opinione duci,  
non ex rei veritate, aut opinione sapien-  
tum. Quod ergo hîc Paulus ex communi  
loquendi more vocavit *improperium*, hoc  
Isaias ex rei veritate, & opinione Sapien-  
tum dixit, *Imperium. Cujus imperium*,  
inquit, *super humerum ejus*: quanta re-  
rum in simili voce diversitas? eadem tam-  
cruce Improperium est hominibus terrenis  
sapiantibus, & imperium re vera Dei &  
Christi Sanctorumque omnium aestima-  
tione. Et alibi vocat Crucem idem Isaias,  
*Clavem David*, quâ omnes thesauri sapi-  
entia & Scientia Dei, nec non omnes Cle-  
mentia ac liberalitatis ipsius aperiuntur.

*Isai. 9.  
v. 6.*

*Isai. 22.  
v. 22.*

nec aliâ id clavi quisquam assequetur. Exeamus ergo, hoc imperium, quô anima rebus humanis omnibus imperandi potestatem accipit, post Christum portantes. Quid aliud est exire de castris, ad quod Paulus nos hortatur, quàm, quod idem alibi dicit, exire de mundo? *Debueratis*, inquit, *de mundo exisse*. Hoc autem quid est: nisi abdicare se omnibus humanis, quibus animus priùs adhærebat, in quibus versabatur, in quibus, ut ita dicam, semper habitabat; ut nihil in posterum nobis cum mundo commercij sit, nihil nos ex ipso velimus habere jucundi aut honorifici, nihil vicissim ei deservire, nihil deferre honoris, nullâ ejus aut lege, aut consuetudine, aut insaniâ duci; solam nôsse Christi legem, ex ea vivere ac sapere; id quod est unô verbô illud Apostoli: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*. Nam mutua hæc est existimatio inter viros perfectos, & mundum. Hic existimat viros perfectos esse crucifixos, id est, in summis semper angustijs, in summo esse cruciatu: at viri perfecti contrâ mundum in angustijs & cruce versari existimant;

I. Cor. 7  
v. 10.

Gal. 6.  
v. 14.

mant, se verò rebus omnibus commodi-  
 mis uti & facillimis. Exeamus ergo, &  
 quantum possumus, recedamus ab his, qui  
 nos crucifixos, nos mortuos existimant,  
 suos ipsi cruciatus, suam mortem non  
 agnoscunt. Neque tamen hoc dico, mun-  
 dum externa conversatione esse omnibus  
 deserendum, sed ab eo interna animi affe-  
 ctione fugiendū, ut, licet in mundo vers-  
 mur corpore, conversatio tamen nostra  
 in caelis sit: malè enim cum humanis re-  
 bus ageretur, si ij, quibus eò sapientiæ de-  
 venire concessum est, omnes se ab homi-  
 num commercio segregarent, qui velut  
 sal terræ sunt, vel ut lux mundi, ut, si dis-  
 scedant, necesse sit mundum tenebris in-  
 volvi, & tabescere. Suam quisque cru-  
 cem tollat, & eam ferens de mundo exeat.  
 Fuit sua crux Ludovico, & Stephano Re-  
 gibus; fuit Elzeario Comiti, Leopoldo  
 Marcioni, Henrico Imperatori sua: &  
 hi omnes de mundo exiverunt, & impro-  
 perium crucis alacriter portaverunt. Qui  
 cunctamur exire? Christo exeunte, qui  
 boni in mundo reliquum est? num relin-  
 quere Pilatum, aut Herodem piget? num

vanæ illius, aut noxiæ cupiditatis affectu teneris? an culpæ alicujus conscius non audes Christo te adjungere? Arqui propterea tantò magis crucem tollere cogeris, & exire cum Christo, nam & rei duo cum eo exiverunt. Vide, ne, dum libens exire detrectas, & crucem ferre sponte susceptam, tibi accidat, quod Simoni Cyrenæo, quem venientem de villa, & suæ familiæ negotijs implicatum, alia omnia, quàm Christum sequi, & post eum crucem portare cupientem *angariaverunt, ut tolleret crucem ejus.* Nam sæpe dum te tua negotia, tuæ cupiditates & cogitationes hac illac pertrahunt, nec de abdicandis omnibus, & cruce suscipienda sinunt cogitare, repentina tibi supervenit necessitas, quâ id facere cogeris invitus, quod sponte suscipere detrectasti. Calamitas, ægrotudo, infortunium multos angariârunt tollere crucem Jesu: & hi quidem beati, qui vel coacti sapiunt; nam neque his parum prodest, quòd non quidem initio sponte fecerunt, sed postea tamen, quòd necessitate trahebantur, voluntate sunt secuti. Ecce huic Simoni in Evange-

lio locus est, & commemoratur ejus pia fo- in  
boles, *Patrem*, inquit, *Alexandri* ce  
*Rufi*. Nunquam enim sterilis est Domini un  
cruce, semperque aliquid boni operis par ille  
rit. Non omitam adnotare, quod in no- nil  
mine Cyrenæi statim audienti occurrit is c  
hoc enim nomen Sectæ erat ejus tempo- pta  
ris, quam qui sequebantur, summum bo- qu  
num putabant voluptatem, quæ Secta ab der  
Aristippo Cyrenæo ortum habuerat. Erant pro  
alioqui Cyrenæi dediti voluptatibus, ut in- qu  
telligamus, hos etiam, qui delicatè vivunt, ter  
qui sunt in illecebris & voluptatibus emu- mi  
triti, ad ferendam crucem evocari. Quis vel  
ergo erit, qui recuset? cùm ne Cyræi qui- sed  
dem detrectent. Satis ergo in villis, satis inc  
in amœnitatibus, in oblectamentis fui- liri  
mus; tempus est, ut inde redeuntes Christo ni  
cruce ferenti occurramus. Et mulier illi vel  
occurrit Veronica, quæ aliter vocatur Phe- va  
ronice, id est, Victrix, seu Ferens victori- cr  
am, & oblatio sudario, ut sacrum Domini- lur  
os, sanguine, sputis, sordibus, sudore re- cle  
persum abstergeret, mira res! non retulit ut  
inde, quod tersit, sed ipsum Domini vul- pr  
tum, cœlo ac sole pretiosiore, arte divina tu  
in

in eo linteo expressum. Ille Domino crucem ferenti occurrit, qui ejus improperium nec timet, nec erubescit, nec detrectat: ille Domini vultum sudario detergit, qui nihil suo labori parcens, aut consulens suis comodis, quod paraverat ad suam vel voluptatem vel opportunitatem, id Christo offert, qui sordes & sputa Christi colligere desiderat, eamque pro gemmis asservare. Sed, qui promptè atque alacriter ad humilia quæque & abjecta, velut ad sordes Christi detergendas, occurrit, is minimè sordidus fit, minimè maculatur, nihil illius vel honori, vel elegantiae ac pulchritudini decedit, sed imago Domini ei imprimitur, atque incipit vocari Victor, & Christifer, ut olim ille felix Ignatius, qui ejusdem Domini nomen ferebat in corde. Quis non se vellet illud linteum fuisse, quò Domini vultus abstersus est? quis non cuperet sacram illam frontem abstersisse, quæ cælum ac terram nutu regit, iram commovet, clementiam serenat? In nobis positum est, ut hoc simus: cor nostrum instar linteum præbeamus, quò Domini vultus abstergetur; occurramus crucem ferenti Domino,



offeramúsque cor nostrum, quod omnes,  
 quæ in eum projiciuntur, sordes gestiat in  
 se suscipere, nihil non amet, non appetat,  
 quod ad impropria Domini spectare vi-  
 deatur. Id si fecerimus, imprimetur cordi  
 nostro imago dilecti, qui dicit: *Pone me  
 ut signaculum super cor tuum.* Da nobis  
 Domine id facere, & quia non decet, vul-  
 tum tuum nisi candidissimò linteò mun-  
 dissimòque detergi, *Cor mundum creavit  
 nobis. Sequebatur autem illum multa tur-  
 ba populi, & mulierum, quæ plangebant  
 & lamentabantur eum, conversus autem  
 ad illas Jesus dixit: Filia Hierusalem, no-  
 lite flere super me, sed super vos ipsas flete.*  
 Mirum est, quòd viris fugientibus mulie-  
 res Dominum sequantur, sed, ut video,  
 flentes sequuntur. Muliebri ergo est &  
 plebeium, Christi crucem sequi flentem &  
 lamentabundum, quam hilari animo sus-  
 cipere, & prosequi oportet. Vel certè haec  
 mulieres dicamus esse affectus quosdam in-  
 firmitatis humanæ, qui ægrè ferunt, nos  
 vitæ perfectæ studium esse complexos, qui-  
 bus dicendum est, nolite flere super me, sed  
 super vos ipsas flete. Fleat gula, fleat su-  
 perbia,

*Cant. 8.  
 v. 6.*

*Psa. 50.  
 v. 12.*

perbia, fleat avaritia, fleant omnes pravi affectus, fleant omnes muliebres & ignavæ animi nostri affectiones, sed seipsas fleant, nos illis liberi læti & hilares simus. Vertamus terga impiæ civitati, hoc est malæ vulgi consuetudini, nunquam ad eam reversuri, & ad Calvariam eamus, quò Caput nostrum, ac Patris Sipientia præit.

## CAPUT II.

*Primam Beatitudinem Perfectorum esse Paupertatem Spiritûs.*

**E**T crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus mittentes sortem, quis quid tolleret. Et erat titulus causæ ejus inscriptus. Rex Judæorum. Hæc B. Marcus. Octo Beatitudines, quas Dominus enumerat, statui perfectorum convenire nemo dubitabit: perfectionem enim beatitudo consequitur. Christus igitur in cruce fixus virum perfectum & beatum, quantum in hac misera & ærumnosa vita beatitudinem consequi possumus, indicabit. Sed quæ potest beatitudo esse in tam

Marc.

25.v.24

26.

acerbo cruciatu? Nimirum inepta hæc interrogatio est, Beatitudinem enim anima obtinet, cruciatur verò corpus. Et licet ea sit animæ corporisque connexio, ut impossibile nobis videatur, altero extrema supplicia ferente, alterum summa voluptate perfrui (& sanè viribus naturæ id fieri neutiquam potest) nihilominus gratiæ divinæ id est proprium, ut animam adversus corpus firmet ac roboret, ut non modo corporis ægitudine non ægrescat, sed etiam vigeat & confirmetur. *Cum infirmior*, dicebat Apostolus, *tunc fortior sum*. Quoties id Martyres sunt experti? qui, cum in cruciatibus summis essent, se liquidissimas animi voluptates sentire fatebantur. Sed illud rarius est: hoc usitatus & communius, ut, qui perfecta omnium affectionum mortificatione crucifixi vivunt, jucundissimam vitam & beatissimam agant; nihil enim illis potest molestum esse, quibus molestiæ omnes consueverunt esse jucundæ. Unde non illi voluptatem capiant, quibus voluptas est, omni voluptate fraudari? Lignum vitæ crux est, quò qui vescitur, nulla sentit mala, nulla incom-

2. Cor. 2.

v. 10.

incommoda, non agrotat, non senescit,  
 non moritur, *Christo confixus sum cruci,* Gal. 2.  
 aiebat ille: *Vivo autem jam non ego, vi- v. 20.*  
*vit verò in me Christus.* An non beatus il-  
 le est, qui totus in Christū quodammodo cō-  
 versus, ac, ut verbō hoc utar, Deificatus  
 est? Quid enim aliud erit in patria, bea-  
 tum esse, quàm Christum Verbum Patris  
 videre? Quod si tum ideo nos visio beatos  
 faciet, quia videntes possidebimus eum, &  
 similes ei efficiemur; quæ alia potest in  
 hac vita beatitudo esse, quàm & hîc simi-  
 lem Domino fieri, eique conjungi? Do-  
 mino autem in cruce pendentem conjungi  
 nemo aliter potest, quàm qui cum eo velit  
 in cruce configi. Contemplemur ergo  
 octo beatitudines Crucifixi, ut vel hinc  
 ad optandam eam felicitatem accenda-  
 mur. Prima beatitudo est, quam Dominus  
 ipse hoc ordine collocavit: *Beati paupe- Matth.*  
*res spiritu, quoniam ipsorum est regnum s. v. 3.*  
*cælorum.* Hanc primam felicitatem Do-  
 minus nobis exhibet, dum ad Calvarix  
 montem ductus (qui vel hoc nomine *Cal-*  
*varia* sterilitatem, nuditatem & inopi-  
 am significare videbatur) exutus est vesti-  
 bus,

bus. Hoc unum ei patrimonium supererat, quippe à Josepho, qui patris ei locò fuerat, nihil habuit, à Matre verò vestem, ut ferunt, ejus manu textam: nudus igitur nudæ cruci affigitur. Tria nos considerabimus, quæ ad paupertatis studium nos excitabunt. Primùm militum lusum, deinde titulum regium; tertio ipsum Dominum bonis hujus mundi omnib' exutum. Milites igitur diviserunt sibi Domini vestimenta, & super vestem ejus inconsutilem miserunt sortem. Primùm vide, quàm ludicra res sit omnis hujus mudi suppellex, omnes opes: sanè siquid in terris opulentum & locuples erat, illa vestiseerat, quæ omnibus thesauris carior esse debuisset; illam tamen Deus ludo militari subjici, voluit, ut intelligamus, opes, divitias, supellectilem, non esse rem seriam, sed ludò & jocò distrahendam. Quid porro omnis hujus mundi est gloria? quid potentia? quid Regna? quid trabes? quid purpuræ? quid coronæ? nisi Domini vestimenta, qui habet scriptum in vestibulo

*Apo. 19.* suis, *Rex Regum, & Dominus Dominantium*; cujus indicium ac symbolum erat

*v. 16.*

erat vestis poderis, in qua totus erat orbis terrarum, *cujus corona est gloria, Regia vestis confessio*, hoc est, *rerum omnium acclivis & supplex adoratio*: Has ergo suas vestes, quæ per terram diffunduntur (nam & hoc dixit Isaias: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum, & ea, quæ sub ipso erant, replebant templum*, hoc est, ut alij legunt, *fimbriæ vestimentorum ejus*) has, inquam, vestes Dominus ludo militari permittit. Diripiuntur regna & provinciæ, & ut quisque est potentior & audacior, eò plus interdum obtinet. Quid ad te, si cum Domino fixus in cruce es, ista curare? Patere ista utcunque distrahi, & rapi. Quanto faciliùs pereunt, tantò in ijs minùs spem tuam ponere debes; qui cor in thesauris terrenis habet, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur, ille facilè cor amittit, ideo monet Rex ille ditissimus: *Divitia si affluant, nolite cor apponere*; qui etiam thesaurum suum in sepulchro fertur habuisse, in quo à posterioribus Regibus est inventus, ut, quoties se divitem vellet inspicere, toties cogere-

tur

Sap. 18.

v.24.

Psal.8.

v.7.

Psa.103

v.1.

Isaia6.

v.1.

Psa.61.

v.II.

tur scire, se moriturum, & ad nihil aliud opes, quàm ad pompam funeris conducturas. Deinde & illud contemplare, non temerè in tuis rebus ludi. Vides hos milites, qui videntur ex petulantia & furacitate statim in vestes Domini impetum fecisse, easque ludi temeritati subiecisse: nihil agunt, quod non Prophetæ multò antè præviderint, & prædixerint; nullus illius ludi jactus est, quem Deus non æternò consiliò ac sapientiâ disposuerit ac destinaverit: ludus est militibus, sed Deo mysterium, Prophetis arcanum, Fidelibus documentum. Quoties igitur tuæ res diripiuntur, ac ludum fortunæ factum te dicis & quereris, scito, nihil tecum temerè agi; nam si ne folium quidem cadit super terram sine Patre, hoc est, quin Paterna in eo detegatur Dei providentia, quid tu censes, te rem tuam familiarem, aut ditionem, aut prædium, illius temeritate, illius improbitate, illius negligentia perdidisse? In ludis quoque nostris Deus non ludit: illius ergo voluntati in nos benevolentissimæ nos ubique subjiciamus, & nostras res, ut volet, à quibusvis, ludo aut serio, agi ferri-

que

que patiamur. Sed erige paululum oculos ab imo ad summum, ac lege titulum: *Rex Judæorum*. Intelligisne, quò id spectet & Regia paupertas. Nunquam Dominus Rex vocatus est, nisi ubi paupertatis, ut ita dicam, ostentationem aliquam fecit, ac pompam exhibuit. Natus est in præsepio ad paupertatis ostensionem; statim tres ab Oriente Reges adfuerunt, qui palam eum Regem vocarunt: *Ubi est, qui natus est Rex Judæorum?* Ingressus est Hierosolymam a sino insidens; quod quid aliud fuit, quàm triumphus paupertatis? quem etiam significare videbantur Apostoli, se vestibus exuentes, easque Domino substermentes; statim acclamari coepit ab omnibus: *Osanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel*. Sed nunquam ita pauper visus est, atque cum in cruce nudus pependit: nunquam igitur ita disertè pronunciatum est Rex; nec enim tantum voce, sed scripto eoque publico, nec tantum à populo aut exteris, sed à Præside Romano Rex appellatus est. Quis non videt, ita Dominum indicare voluisse, eum Regem esse, qui paupertati studens

dens



dens omnia à se abdicet, omnibus se ex-  
 uat, seu solo affectu, sive etiam re ipsa? An  
 non illa vox verè Regia est? *Ecce nos re-*  
*liquimus omnia.* Quis enim ita loquere-  
 tur, nisi qui totum terrarum orbem sibi  
 subditum cogitaret, & quod plus est, lu-  
 dibrio haberet, ac longè à se velut calce  
 propelleret? De ejusmodi homine dictum  
 est: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.*  
 Nam qui divitias rem magni æstimandam  
 putat, iisque gloriatur, & de ijs sollicitus  
 est, eas profectò sub pedibus non habet,  
 qui sub ijs est, atque ab ijs velut non <sup>levi</sup>  
 onere præmitur; is ergo omnia sub pedi-  
 bus habet, qui nullas mundi opes pluris  
 facit, quàm reliquum terræ, quod calcat.  
 Quid ergo obstat, quò minùs is jure Rex  
 vocetur, & quidem terræ universæ Rex?  
 Nunc Dominum ipsum contemplemur,  
 qui, cum Rex cœli terræque sit, cumque  
 gloriâ induatur, nudus in summa inopia  
 & rerum omnium egestate conspici voluit.  
 Quem nunc egestatis pudeat? quis se velit  
 opulentum ac divitem videri? Job, cum  
 omnia amisisset, dicebat: *Dominus dedit,*  
*Dominus abstulit.* At Christo Domino,  
 qui

*Matth.*  
 19.v.27

*Job. 1.*  
 v.21.

qui omnia omnibus dat, homines tum omnia, tum vestes ipsas abstulerant. Noli ergo rerum externarum jacturam ullam pertimescere, aut ægrè ferre, sed, antequam vel homines, vel Dominus per ipsos hæc tibi eripiat, tu ea Domino & hominibus propter ipsum largitor. Experire, quàm bonum, & quàm beatum sit, nihil habere, quod timeas amittere, & cum Domino ne terræ quidem tantum habere, quantum vestigiò premas, sed in cruce pendulum hære, & cuncta mundi hujus velut te inferiora despiciere. Nudus eris, at Christum sic indues: pauper eris, imò nullius egens, quia nihil cupies: ad illum proximè accedes, cui propheta canit: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem* Christum, ut ejus paupertate dives fiat, eamque in omnibus, quantum possit, imitetur.

Psal. 15.

v. 2.

Psal. 34.

v. 10.



Q

CAP.

## CAPUT III.

*Secundam beatitudinem esse lenitatem & mansuetudinem, maxime cum inimicis.*

*Luc. 23. v. 34. Iesus autem dicebat: Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.*

*Mat. 5. v. 5. Hæc B. Lucas. Secunda autem Beatitudo quam Dominus enumerat, est: Beatimittes; quoniam ipsi possidebunt terram.* Tri-

hîc adnotemus. Primum, quanta per se felicitas sit, esse mitem, & nullis injurijs exasperari aut offendi. Deinde quantum ei præmium sit propositum. Tertiò quantum ad eam virtutem sectandam Domini exemplò nos deceat excitari. Sanè uti faciliùs est, rei familiaris jacturam pati, quam injurias sibi illatas ferre patienter, & pro-niores homines sunt ad hæc bona utiliter relinquenda, quàm ad sui honoris, dignitatisve imminutionem æquò animò ferendam, tantò beatiores sunt, qui hoc quoque assequuntur: nam beatitudo perfecti cujusdam boni adeptio ac possessio est; id autè bonū optimum ac perfectissimū est, quod qui habet, omnibus reb<sup>9</sup> superior est.

omnia infra se despicit, nulla re læditur,  
 nullâ premitur, nullâ gravatur. Tale bo-  
 num mansuetudo est: nam, qui semel eam  
 virtutem obtinuit, hunc nemo hominum  
 ac ne dæmonum quidem lædet. Jobi for-  
 tunas, domum, filios, corpus ipsum læsit  
 Satan, ipsum non læsit; quia *in his omni-*  
*bus non peccavit Job labijs suis, neque*  
*stultum aliquid locutus est.* Proinde si-  
 milis est, qui perfectè mitis est, Deo, de quo  
 scriptum est: *Non accedet ad te malum,*  
*& flagellum non appropinquabit taberna-*  
*culo tuo.* Quantumcunquē circa ejusmo-  
 di hominem convicia perstrepant, furor  
 inimicorum ac rabies fulguret ac tonet,  
 ipse similis est cælo sidereo, quod nec plu-  
 vijs proximi cæli aërei perpluitur, nec ful-  
 minibus læditur, nec tonitruis concutitur.  
 Quid hoc homine beatius? Extra ictum,  
 extra periculū constitutus, inter tot mundi  
 mala suō bonō lætus fruitur, & in sinu  
 gaudet. Sed parum est non moveri inju-  
 rijs, non exacerbari offensis: etiam ad be-  
 nignitatem & beneficentiam injurijs irri-  
 tatur; pro singulis ictibus, quos ei infligit  
 inimici rabies, totidem rependit beneficia.  
 Arbor suavibus & salubribus pomis onu-

Job. 1:

v. 32:

Psal. 90:

v. 10:

Q 2

sta,

sta, quocunque impetu quatiatur aut vulneretur, poma maturiora largitur. Dolum melle plenum, quocunque ictu tranverberetur, mel effundit. Quô quidque plenum est, id reddit necessariò, id effundit. Anima caritate plena, melle plena, quid det nisi caritatem, nisi mel? *Maledicimur, & benedicimus, blasphemamur, & obsecramus.* Vos, quod vestrum est, facitis, ut in me furores vestros exerceatis, ego, quod meum est, ut in vos meam caritatem effundam. Hoc tantùm timeri potest, ne, dum hoc mel caritatis effunditur, anima eò vacua reddatur, sed nihil minus, imò quantò depletur magis, tantò magis abundat. Optandum est viro ejusmodi, ne unquam desit inimicus, qui irriter, qui provocet, ne unquam ipse desinat caritatem profundendo in se augere, nam quæ admodum oleum tunc stetit in Viduæ illius vase, cum defuerunt vasa vacua, in quæ deflueret, ita tum cessat hæc in corde perfecti hominis caritatis ubertas, cum defunt velut vacua vasa, in quæ se effundat, inimici. Ingens beatitudo, & prior major, nam illa in eo posita erat, ut bona externa

externa non amarentur; hæc autem addit, ut neque mala externa metuantur: per illam fiebat, ut nullò extra nos egeremus; per hanc fit, ut rebus externis benefici simus, iisque, etiam cum nobis nocent, prodesse conemur; denique ut instar arbusculæ balsami ex vulnere atque injuria reddamus suavissimum ac saluberrimum liquorum omnium, caritatem. Beatum est, nullò egere. Beatius, nihil timere. Beatissimum, omnibus etiam malefacientibus benefacere. Sed hîc non ineptè quis dubium movere posset, cur, quando hæc major est beatitudo quàm prior, minus ei præmium sit additum. Nam de pauperibus dictum est: *quoniam ipsorum est regnum cælorum*; de mitibus autem: *Quoniam ipsi possidebunt terram*. Cœlum ergo pauperibus datur, terra mitibus. Sed minimè putandum est, cœlum non etiam mitibus dari, cum scriptum sit ex ore ejusdem Domini: *Diligite inimicos vestros, Matt. 5. benefacite ijs, qui oderunt vos, ut sitis filij v. 44. Patris vestri, qui in cælis est, quodsi filij Rom. 8. & heredes. v. 17.* Ergo illud ita dictum videri potest, ac si Dominus diceret: Pauperibus

bus cœlum, Mitibus cœlum & terram  
 dandam, ut eô loquendi modô significaretur,  
 hos illis præmium majus habituros.  
 Vel: propria beatitudo ( non tam enim  
 præmia hæc fortè sunt, quàm ipsarum bea-  
 titudinum explicationes, quæ adduntur )  
 propria, inquam, mitium beatitudo est  
 terram possidere, quia in terra lites, iur-  
 gia, bella sunt, in cœlo nihil horum est;  
 nulla est autem vel certior vel brevior hæc  
 omnia componendi via, quàm si mitis ac  
 placidus sis, si benefacias malefacientibus,  
 benepreceris maledicentibus. Oleô apes  
 extinguuntur, cinere reviviscunt; nam  
 quoties sicut apes te circumdederint ini-  
 mici, & non modô circumstrepere ac su-  
 surrare non desinant, sed aculeos suos tibi  
 acriùs infigant, oleô caritatis & benefi-  
 centiæ eos prorsus domabis, & velut e-  
 mortuos reddes: at si cineres favillasque  
 iracundiæ adsperseris, reviviscunt, & cru-  
 deliùs sævient. Nova, ac priscis sæculis  
 inaudita orbem terræ subjugandi ac de-  
 bellandi ratio, non armis exacuendis, non  
 dolis militaribus excogitandis, non pro-  
 vincijs devastandis, sed m<sup>an</sup>nanimitate,

pati.

patientiam, caritate; vulneribus non infligendis, sed subeundis; injurijs non inferendis, sed ferendis. Non agimus hinc de ijs, quibus tuenda reipublica cura incumbit, neque de publicis scelerum iudicijs, quibus severitas opportuna, aut necessaria est; sed in ijs, in quibus iustitia non cogat gladium stringere, semper huius oportet beatitudinis gloriam affectare, quam ille vel maximè quæsit, qui primus à suo nomine omnibus orbis terrarum Moderatoribus nomen fecit: ille, inquam, etiam in hoc Evangelio notus Cæsar, qui, dum ita omnibus studet ignoscere, & eo genere magnificentia gloriatur, ut, qui veriores ejus hostes erant, perire maluerint, quàm ei de se talem præbere victoriam, id consecutus est, ut primus in ea urbe regnaret, quæ nullum Regem pati poterat, & cunctis in orbe terrarum Regibus imperabat, ita ut etiam in Evangelio diceretur, *non habemus Regem, nisi Cæsarem*. Ac, ne exteris historijs videamur eguisse, in Christi Domini Genealogia nemo Rex vocatur, nisi David, cum tot Reges sint: quia de nemine constat illustrius, quòd



pepercerit inimicis, quàm de ipso, qui, cum Saulem dormientem præ se haberet, ac data illi esset optio, utrum vellet, regnumne capessere, an parcere inimico, hoc veluti regnum majus elegit. Hinc Dominus quoque, cum esset Rex Regum, ac Pater ei dedisset omnia in manus, tamen in Crucis titulo tantum vocatur Rex Judæorum, quippe, à quibus gravissimas injurias accepisset, & quibus læsus pepercisset, horum maximè Rex vocari debebat. Hoc Regnum omnes affectemus hac arte rerum omnium potiri velimus, non modò omnia contemnentes, & sub pedibus habentes, sed, siquid in ijs boni est, id ultro inimicis nostris concedentes, eosque cupientes omnia nobis habere potiora, omnibus rebus affluere, tantò magis, quantò nobis inimiciores sunt, & molestiores. En, quod tertium erat ea de re, quàm luculentum Salvatoris exemplum! *Pater*, inquit, *dimitte illis*. Patrem vocat, ut, quantam maximam potest, vim precibus suis addat; quid enim Pater filio suo negaret, & quidem è cruce clamantis: *Pater, dimitte illis!* At non ita precari solitus

solitus erat Dominus, ut diceret, fac hoc Domine, vel Pater, sed addebat, ut in hortu audivimus, *si fieri potest, & orationem semper ita claudebat, fiat voluntas tua.* Nunc autem, dum pro inimicis orat, nihil horum addit, sed, *dimitte*, inquit, ac si diceret. Pater quicquid vel auctoritate, vel meritò, vel orationis efficacitate possum, hîc experiri cupio: extremum hunc accipe conatum caritatis & amoris mei, qui repulsam pati non vult: Dimitte Pater: passis manibus oro, dimitte. Moysis brachijs, quamdiu extenta erant, victoriam non negabas; Mea brachia ne unquam ab hac oratione remittantur, in cruce finguntur, me clamante, dimitte. Sed quibus? Illis. Nullos alios magis in animo habebat, quàm eos ipsos, à quibus tam barbarè tractabatur. Sed, quid ais mi Domine? Nonne tu es Judex vivorum & mortuorum? nonne Crux est tribunal & statera justitiæ? Quo pacto tam horribile ac detestabile Deicidium dimittatur? Attende Domine, audi, quid circum te clamitent, quid blasphement: *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.*

Qs

Si

*Si filius Dei est, descēdat de cruce. Vah qui destruis templum Dei, & triduò readificas illud.* Hæc audis, & pro his rogas: Omnino, inquit: neque tantum rogat, sed causam affert, ob quam eis sit ignoscendum; *quia nesciunt, quid faciunt.* Quid non excogitas ingeniosa caritas ad ignoscendum? tanquam non toties audivissent, te esse Filium Dei, quod & nunc dicunt; tanquam ut hoc credere deberent, non tot signa vidissent, quæ & nunc memorant. Hoc, quod ad crimen augendum, alius adduxisset, ad id imminuendum Christus adduxit. Imitare, qui cupis beatus esse cum Christo.

## CAPUT IV.

*Tertiam beatitudinem esse luctum assiduum ab nostra & aliena peccata.*

Luca 23  
v. 33.

**U**Nus autem de his, qui pendeant, a latronibus blasphemabat eum dicens: *si tu es Christus, salvum fac te ipsum, & nos.* Respondens autem alter increpabat eum, dicens: *neque tu times Deum,* quod

quòd in eadem damnatione es? & nos quidem justè; nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit; & dicebat ad Jesum: Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum. Hæc B. Lucas. Progreditur in perfectiora, semper Beatitudinum ordo: nam prima circa bona externa ferebatur, ne ijs animus inhæreret. Secunda circa mala externa, ut non modò ijs non læderetur, sed ut ea etiam beneficijs rependeret. Tertia nunc ad mala interna pergit, quæ peccata sunt, eaq; cū in se, tū in alijs luget assiduè. In qua tria sunt nobis consideranda. Primum peccata mala esse gravissima, & perpetuò lugenda. Deinde hoc luctu beatos nos reddi. Tertiò, quo pacto apparuerit id in Latrone, ut ex verbis Evangelij recensuimus. Quàm gravia mala sint peccata, quid meliùs ostendit, quàm tota Domini nostri Passio? Cùm enim pœna culpæ ex æquo respondeat, ex ejus gravitate rectè hujus magnitudo colligitur. Unius quidem culpæ lethalis pœna justa, sed clemens, & ut dicitur, citra condignum, est æterna damnatio. Quantum malum! scilicet, quantum bonum.

bonum est, quò hominem in perpetuum arcet ac privat; id autem Deus est. Nihil videtur addi posse ad peccati cuiusque labem & indignitatem exaggerandam, quàm dicere, id tantum in se mali habere, quantum sit bonum, quò privat, id verò bonum esse Deum. Sed pergamus, est enim aliquid, quod addi potest, si minus ad mali summam augendam, certè ad eam magis magisque sub oculos ponendam. Inferorum pœnas Christus Dominus sua Passione redemit, ut, si quis ejus merita ritè sibi applicet, is ab inferorum pœnis sit immunis: necesse est igitur, Christi Domini Passionem fuisse acerbissimam, quæ inferorum tormenta æquare, imò superare potuerit, & ipsum plus passum esse, quàm omnes, qui damnandi essent, passuri fuissent. Huic quidem rationi obstare videtur, quòd Domini Passio non gravitate cruciatuum, sed valore singulorum actuum (quos Divina Persona infinitæ dignitatis ut essent, efficiebat) id persolverit, quod pro nostris noxis debebatur. Et sanè hoc sensu ita est: nulla enim adeò exigua Domini actio fuit, cujus

valor

valor, ex dignitate personæ derivatus, non infinitorum, si tot essent, hominum infinita peccata superabundante precio redimeret; sed ea fuit bonitas & humanitas Salvatoris nostri Dei, ut peccata nostra, quæ citra ullâ dolorû perpeffionē expiare posset uno actu amoris oblato, maluerit durissimis cruciatibus exsolvere, atque adeò de ipso dictum sit: *Languores nostros ipse tulit, dolores nostros ipse portavit, afflictus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*, ita ut apertè indicare videatur Isaias, eos dolores atque cruciatus, quibus nos digni eramus, omnes in Christum Dominum esse translatos, eúmque omnigenere suppliciorum, quæ hominibus reis debebantur, attritum, quæ vox significat, ad extremum usque ventum esse; nam dolor est divisio continui, ut ajunt, attritio autem est summa divisio; licèt enim brevis fuerit ille cruciat⁹, & licèt inferorû quædam tormenta sint, quæ Dominus passus non est, ut desperatio, blasphemia, Dei odium ac privatio, tamen alia sunt, quæ in Christi Domini dolore graviora considerari possunt.

Isai. 53.

v. 4.

sunt. Et quædam ex his mala potius, damnatis quàm molesta sunt, ut odiù Dei, & blasphemia : at Christo Domino tantum dolorem afferebant blasphemix, quas audiebat, & simul peccata omnia præterita ac futura, quæ præsentia habebat, quanta erat perfectissimæ ejus sapientiæ cognitio, quâ eadem agnoscebat, & quàm mala esset, & dolore ac luctu digna intimè perspiciebat. Qui dolor ex parte superiori in inferiorem derivabatur, ut apparuit in sudore sanguineo. Rursum autem corporis ipsius tam delicata & perfecta constitutio erat, ut plus ipse levissimo ictu læderetur, quàm aliorum aliquis gravissimo : & nihil dici potest ad rem hanc exprimendam aptius, quàm quod dixit Isaias, cum eum vocat *Virum Dolorum*, ac si diceret, virum ad dolores factum, virum ea temperatione & constitutione totius corporis, quæ ad omnes dolores sentiendos aptissima est : ideo addit : *& scientem infirmitatem*, hoc est, qui experimentò omnes dolores sciret, didicit enim ex his, quæ passus est, obedientiam, factus obediens in tormentis, & victima atque holocaustum Deo Patri,

Isai. 53.  
v. 5.

Patri, non igne visibili, sed invisibili doloris incendio omnes artus, compages, fibrásque depascente. Quis magnitudinem passionis ejus explicet? quæ maximum Dei operum est, ut initiò ostendimus: cum igitur ubique sit magnus Dominus, & magnitudinis ejus finem etiam in rebus creatis nulla possit creatura reperire, quid nos audemus quærere, quibus limitibus conclusa sit Passio Domini? cum ea sanè iisdem, quibus ejus amor, terminis finiatur. Quòd si Virginis dolor Oceano comparatur (*magna est velut mare contritio tua,*) cum vix fuerit stilla dolori filij comparatus, quid de illo ipso dicemus? nisi quod in Symbolo dicitur, *Passus est*: quod nomen infinitum quodammodo est. *Passus est*, hoc scimus; quantum passus sit, hoc quis facile comprehendat? Id cum ita sit, & cum Christus nihil temerè, nihil præter summæ sapientiæ, æquitatisq; rationes fecerit, necesse est, id omne, quod passus est, peccato deberi; necesse est, tã malũ esse peccatũ, ut ob id Christum eò usque affligi & pati, si minus necessarium, certè æquum & conveni-

Thren. 2

v. 13.

veni-



veniens fuerit. Et ille quidem ob aliena peccata tantum doluit: quid nobis faciendum est? qui & nostris dolere debemus, & in alienis tam multum habemus, quod nostrum jure esse censeamus. Nam & multa alij peccant, nostram vel negligentiam vel exemplo, & nostra peccata ea saepe damna inferunt, ex quibus multa alia peccata nascuntur, & denique omnium peccata cognatione quadam unius primi parentis culpae, in qua omnes sumus geniti, ad nos pertinent, ita dolendum nobis est ob omnia omnium peccata; Nam peccatum Adami quodammodo nostrum fuit: ex illo autem nata sunt omnia. Deberet autem is dolor & perpetuus in nobis, & summus esse; nam nec materia unquam recens dolendi deest, & vel ob unum, vel ob illud primum primi parentis peccatum aeterno dolore conflictari merito debemus. Quandiu in terris Dominus fuit, ex quo primum conceptus est in Matris utero, usque ad extremum vitae spiritum, in perpetuo dolore ob culpas hominum fuit: postquam desijt vitam mortalem vivere, & ad immortalem illam transiit, in qua neque

que luctus neque dolor est ultra, quia prima abierunt, nos ejus doloris reliquit hæredes. Ideo etiam in Sanguinis sui admirabili Sacramento testamentum instituit, dicens: hoc fore æternum testamentum in ipsius Sanguine, effuso in remissionem peccatorum; nec voluit omittere, quin peccata nominaret, ut, quoties ea Sacra Mysteria celebramus, aut ijs præsentibus adstantibus, meminerimus, divinum illum sanguinem propter hominum peccata esse effusum ac proculcatum. Sanè his satis constat, nos causam habere, ob quam in perpetuo luctu esse, debeamus; id verò beatum ac felix esse, nemo non facile fatebitur, si illud apud se perpenderit, eundem actum voluntatis nostræ, quò malum fugimus, esse amorem ac prosecutionem quandam boni oppositi. Quare, qui perpetuò averfatur ac luget peccata, ille perpetuò adhæret Deo, qui peccato opponitur; qui verò perpetuò Deo adhæret, is beatus est. Quod ut manifestius appareat, in memoriam revocandum est, pro hujus miserrimæ vitæ statu nos non posse tam bene in Deum directis actibus tendere,

R

dere,

dere, quàm indirectis, ut exempli gratiâ;  
non tam bene assequimur, quid sit Deus,  
tribuendo illi perfectiones creatas, quàm  
excludendo ab illo omnem perfectionum  
creatarum finem, aut limitem, aut im-  
perfectionem. Quod cùm ita sit, videtur  
quodammodo magis ac propiùs ad De-  
um accedere, dum peccata omnia aver-  
samur, quàm cùm ipsam Dei bonitatem a-  
mamus: non quòd hic actus illò non sit  
perfectior & prior, sed quia pro hoc sta-  
tu voluntas nostra aptior est ad illud ma-  
lum detestandum, quàm ad hoc bonum  
degustandum, sicuti de Deo intellectus  
noster pro hoc statu magis scit, quid non  
sit, quàm quid sit. Quid ergo beatius eo  
dolore, quo uno proximè ad Deum acce-  
ditur? Quod, si non aliunde posset ostendi,  
pij Latronis exemplò maximè ostenderetur.  
Is enim hoc habuit initium acceden-  
di ad Deum, detestationem & suæ & socij  
culpæ. *Neque tu, inquit, times Deum?*  
Hoc exordium mihi videtur indicare,  
hunc hominem, cùm diu apud se de Chri-  
sti Domini perfecta innocentia cogitasset,  
ac sibi redegisset in mentem, hunc procul-  
dubio

dubio esse Messiam, de quo dixisset Isaias, eum propter aliena peccata gravissimè à Deo esse plectendum, inde ad perpendenda, cum sua, tum Hebræorum scelera, devenisse, & gravi dolore tactum ingemuisse, quòd sanctum, innocentem, ab omnibus vatis prædictum Dei filium suis ipse criminibus ad id supplicij adduxisset. Postremò cum inter hæc audivisset alterum Latronem, eidem Domino convicia ingentem, minimè id ferre potuisse: hinc illa vox: *Neque tu times Deum?* ac si diceret: Saltem tibi vexatio intellectum dare potuisset, quòd cerneres, quis hic sit, qui propter nostra delicta hæc acerbissima patitur: istos licentia & impunitas insanire patiuntur, sed nos, quibus jam ob scelera nostra supplicium meritò est inflatum, & mors instat, profectò non innocentis ac Salvatoris nostri irrisioni, sed criminum nostrorum confessioni vacare debemus. Vide primùm, quantam suorum criminum cognitionem habuerit pius hic latro, quantoque eorum odiò tactus sit, dum ait: *Et nos quidem digna factis recipimus*: comprobatur iudicium sententiæ, ei-

que subscribens, libenter se mortem subire profiteretur: deinde non timet irritare Judæos, à quibus iratis tum maximè omne genus ludibrij & cruciatus expectare meritò poterat. Et certè alter latro contrariâ viâ gradiebatur; nam ideo, ut credibile est, convicia in Dominum tam acerba jaciebat, ut ea ratione Judæorum sibi conciliaret benevolentiam, & forè etiam tanquam Christi Domini irrisor & hostis vitâ donaretur: at hic, cujus cor tetigerat criminum suorum dolor, nihil magis cupiebat, quàm quicquid vitæ reliquum haberet, infectandis peccatis insumere, in lucro positurus, si ob eam causam à Judæis atrocius plecteretur. Postremò animadvertite, quid possit in verè poenitentibus horror peccati, dum enim in cruce esset, ac mortem adeò propinquam haberet, non hanc metuebat, non satellitibus & lictoribus, aut judicibus indignabatur, sed solam socij blasphemiam ferre non poterat, eaque se magis sentiebat, quàm sua cruce ac morte cruciari. Ergo, qui ita lugebat, quid mirum, si consolatione dignus est habitus? *Domine, inquit, me-*

*mento*

*memento mei, dum veneris in regnum tu-  
 um: cui Dominus: Hodie mecum eris in  
 paradiso.* Ecce, quàm facilè luctus hic ad  
 beatum & perenne gaudium homines du-  
 cit. Notatu digna est fiducia, quâ cum Do-  
 mino latro loquitur: *Domine*, inquit,  
*memento mei, cum veneris in regnum tu-  
 um.* Quis ei dixerat, Dominum Regem es-  
 se? quis ei damnato & latroni spem fece-  
 rat regni cœlestis adeundi? utrumq; crux  
 dederat: in cruce legerat, Dominum esse  
 Regem Judæorum, id est, ut vocis origo  
 significat, omnium, qui eum verè confi-  
 tentur. Hinc & ipse meritò spem conce-  
 perat, fore, ut, si eum Dominum confite-  
 retur, ipsius Regni particeps esse posset.  
 Olim dictum est: *Signa Thau super fron-* *Exee. 9.*  
*tem virorum lugentium.* En vir lugens, *v. 4.*  
 qui & sua peccata dolet, & aliena repre-  
 hendit: en vir, qui Thau, id est crucem  
 Domini, non abominatur, ut alter, sed  
 velut honorificam & salutarem & ad re-  
 gnum ducentem submissa fronte venera-  
 tur. Quid mirum, eum esse inter signatos?  
 quid mirum, ei per crucem aditum regni  
 cœlestis aperiri? Olim Adam, qui Evæ

262 DE PASSIONE DOMINI,  
conjugi suæ malè consentiens ad lignum  
scientiæ mortem degustaturus accesserat,  
ejectus est è Paradiso; nunc alter latro à  
focio bene dissentiens, ad lignum vitæ se  
vertit, & audit, *Hodie mecum eris in pa-  
radiso.*

CAPUT V.

*Quartam beatitudinem esse si-  
tim & famem propriae alienaque  
justitiae.*

**S**Ciens Jesus, quia omnia consummata  
sunt, ut consummaretur Scriptura,  
dixit: *Sitio.* Hæc B. Joannes. Cùm or-  
do beatitudinum à Matthæo recensitus  
hanc sitim quartò locò ponat, mirum est,  
ordinem Verborum Domini his beatitu-  
dinibus respondentem alia serie hîc pro-  
gredi. Nam Crucifixionem ostendimus  
primæ beatitudini respondere; Primum  
Verbum Secundæ; Secundum Verbum  
Tertiæ; Tertium autem Verbum Domi-  
ni, quò Matrem Joanni, ac Joannem Ma-  
tri commendavit, quintæ beatitudini, quæ  
est

est, Beati Misericordes, respondere manifestum est. Quartum ergo Domini verbum, Sitio, respondet huic quartæ beatitudini eorum, qui esuriunt, & sitiunt Justitiam, & dici potest, pium Dominum, quodammodo festinantem Matri suæ consulere, ac dilecto discipulo benefacere, prævertisse illud verbum, & in Matris & Discipuli gratiam aliquo modo ordinem beatitudinum commutasse: alij plura & meliora producent, nos hac ratione contenti, coeptum beatitudinum ordinem prosequemur. Sanè, quemadmodum primæ duæ beatitudines circa externa bona & mala versatæ fuerant, ita decet, eas quoque duas, quæ sequuntur, circa interna mala & bona versari, & sicuti tertia beatitudo erat, mala interna in nobis aliisque lugere, ita quarta est, bona interna in nobis aliisque optare. *Beati igitur, qui esuriunt, & sitiunt justitiam.* Et hîc quoque crescit, ac progreditur Perfectorum Beatitudo. *Iustorum enim semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem.* Nam tertia tantum conabatur abstergere poenitendo peccata



pristina, & aliorum quoque malis indolebat; quarta verò etiam justitiæ & gratiæ, tum sibi tum alijs omnibus, desiderat incrementum. In qua nos tria illa conabimur intelligere: primum, quid sit hæc famemes & sitis; deinde, quo pacto nos beatos faciat; tertio, qua ratione id primum hoc Domini Verbo, deinde magis explicetur exemplò. Ad primum quod spectat, Famemes ac sitis Justitiæ hoc sunt in rebus internis atque cœlestibus, quod in externis atque terrestribus illa, ex quibus hæc sunt verba desumpta. Sanè tum nos aut fame aut siti urgeri dicimur, cum tria hæc conjunguntur, ut corpus cibò aut potu egeat, ut ad suscipiendum aptum ac dispositum sit, ut ijs careat: nam, quæ vitâ carent, ea famem aut sitim non sentiunt, quia nec cibò nec potu egent: qui verò ægrotant, ij sæpe nec famem nec sitim sentiunt, quòd malè sint constituti ac dispositi ad cibum potumque capiendum. Postremò bene pastus quis ac potus, nec famem nec sitim ullam experitur, ideo quòd cibò & potu non caret. Omnes, qui vitam supernaturalem vivunt, gratiâ atque

que iustitiâ egent, quâ nutriantur: nam quemadmodum vitalis humor ac succus, quem radicale humidum vocant, vi caloris absumitur, ita calore concupiscentiæ succus vitæ spiritualis & gratiæ exhauritur, ac nisi nos cibô ac potu spirituali reficiamus, arescimus. *Percussus sum ut fœnum*, aiebat Propheta, & *aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum*. Populo per desertum iter agenti necesse erat, quotidie de cœlo novum manna demitti, & nos docemur à Salvatore in oratione petere, *Panem nostrum quotidianum supersubstantialem*. Bene autem cibi & potus nomine gratia significatur; nam duplex in nobis est facultas, quæ eâ expletur, & vescitur, Intellectus, & Voluntas. Voluntati quidê velut esca est, dū suavitatê illi quandâ affert, quâ mirificè recreatur, & solidum cibum, quô alitur; intellectui autem est instar potûs aquæ Sapientiæ salutaris. *Iustus enim ex fide vivit. Fides autem est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*. Dum nihil apparens, nihil sensibus præsens proponit fides, Intellectus

*Psa. 101  
v. 5.*

*Hebr. 11  
v. 1.*

R s

noster,

noster, qui nihil percipit, nisi quod sensus antè percepit, minimè habet, quod intelligat, nisi gratia ei subministret objecta supernaturalia. Dum sperandas tantùm res nobis offert fides, voluntas nostra, quæ spes affligit, res tantùm oblectat & paciscit, nihil habet, quò fruatur, nisi præsentem aliquam boni supernaturalis possessionem gratia exhiberet. Gratia igitur nobis est potus & cibus, quò vivimus, cæ sublatâ cadunt omnes animæ vires. Gra-

*1. Cor. 15. v. 10* *tiâ Dei sum id, quod sum, ait Paulus, & gratia ejus in me vacua non fuit, sed semper in me manet.* Dux sunt alimentorum species: alterum est remotum, quod est cibus & potus; alterum proximum, quod est sanguis. Et remotò quidem non semper egemus alimentò; nam cibò non vescimur assiduè, proximò autem perpetuò egemus, est que conjunctum animali, & parte ejus; semper enim anima in transmutando alimento proximo occupatur, & in eo vita posita est: quare & sanguine toto emisso, vivere desinit animal, quippe sublatò propriæ operationis objectò, necesse est propriam ejus operationem desinere,

nerere, atque adeò vitam, quæ in ea consistit. Huic igitur, quò minùs carere possumus, gratia comparatur alimento, dum Paulus ait, eâ sene ad momentum quidem carere potuisse, & ipse Dominus comparatione vitis & palmitis eandem necessitatem luculenter expressit. Quid ergo est, quòd, cùm adeò nobis id alimentum necessarium sit, neque eò nos repletos jam dicere possimus, minimè tamen eam famem ac sitim sentiamus, quam nos experiri deceret? Necessè est alterum duorum esse, aut nos minimè vivere, quod Deus avertat; aut certè minùs bene constitutos esse, minùs dispositos, & ad cibum hunc potùmque spirituales degustandum idoneos. Languere enim oportet, aut ægrotare eos, quibus exhaustis succò, ac sanguine, & virium inopiâ laborantibus, nec cib⁹ nec potus appetitur, aut sapit. Sed bene est, quòd ejusmodi cibus hic est, & ejusmodi pot⁹, qui simul medicina est, ut proinde, quò magis sumitur, eò longius ægritudo pellatur, quâ fiebat, ne appeteretur. In corporis nutritione, si malè dispositus sit, qui edit, aut potat, quò id magis facit,

facit,

facit, eò fit magis æger, tandèmq; obruitur ac perit. In animæ refectione res contrà accidit, nam quò est quis magis æger ac languidus, quò graviùs & lethaliùs quovis spiritali morbo laborat, eò plùs, eò largiùs eum oportet gratiæ cibis se alere. Neque in hujus alimenti appetitu gula habet locum, aut morbus ille, quò inexsatiabilis fames vocatur Bultimia, neque in liberali sumptione Plethora, aut noxia naturalis virtutis oppressio est cuiquam timenda. Panis est vivus, & panis vitæ, qui secum vires, secum robur, secum affert salutem; quò plùs comedis, eò meliùs valebis. Universè autem nomine Justitiæ, & Gratiæ res omnes divinas ac spirituales vocamus, quarum perpetua commentatione, affectu, tractatione atque usu vegetamur & vivimus. Harum nos famem ac sitim decet habere perpetuam. Nec absurdum est imperare, ut quis hanc famem ac sitim habeat, quò sanè in corporeo cibo ac potu esset absurdum; nam hæc fames, hæc sitis liberè à nobis suscipitur ac deponitur; hæc famemes, hæc sitis, si volumus, statim in nobis

bis exardescit; si velle cessamus, extinguitur. Cur autem velle debeamus, in promptu ratio est, quia ea nos beatos efficit. Sed quâ fieri potest, ut, quod in corporeis rebus est miserrimum & molestissimum, fame & siti laborare, id in rebus cœlestibus sit beatum? Nam rem attentè inspicientibus videtur non modò spiritualis hæc famemes ac sitis corporeâ illâ non esse jucundior, sed etiam longè ad excrucians animum acrior & potentior: quantò enim bonum perfectius est, quod appetitur, tantò se animus magis torquet, ac minùs libenter fert ejus absentiam. Quod si Paulus ita molestam sentiebat in se hanc famem justitiæ ac sanctitatis alienæ, ut si quis ab ea excideret, ipse totus fame exardesceret, atque ureretur: *Quis scandalizatur?*, inquit, *& ego non uror?* quantò vehementiorem decet in nobis sensum esse, quò nostram justitiam esuriamus ac sitiamus? *Os meum aperui*, inquit David, *& attraxi spiritum; quia mandata tua desiderabam.* Vides præ siti ac fame anhelantem, & auras captantem. Et alibi hanc famem famelicam esse ostendit, & se ab ipsa come-

*Psa. 118.*  
*v. 131.*

come-

comedi. *Zelus Domus tua comedit me.* Depascebatur enim Sancti Prophetæ cor & viscera hæc fames, dumque anima eâ replebatur, corpus ac vita exhauriebantur. Quare & alibi dicebat: *Tabescere me fecit zelus tuus*: nam fames inter cætera mala etiam phthisim affert. Denique nihil ea fame est molestius, quæ expleri ac sedari nequit; huiusmodi autem est hæc, quæ infinitam quandam aviditatem habet; nam quò magis hoc spirituali cibo potuque alimur, eò in nobis fames ac sitis magis

*Eccl. 24 v. 29.* *augentur. Qui manducant me, adhuc esurient, inquit Sapia, & qui bibunt me, adhuc sitient. Quemadmodum ignis, qui avidissimus est, injectu materiae non expletur neque exsatiatur, sed eò violentiùs exardescit, ac fit avidior & voracior: ita spiritualis hæc fames, quò magis expletur, eò fit validior & vehementior, & quod in nullius alterius rei cupiditate accidit, in hac una Sancti experitur, ut ipsam famem esuriant, & ipsam sitim sitiant, & quò violentior est in ipsis divinarum rerum fames ac sitis, eò violentiùs plus esurire esuriant, ac sitiant plus*

plus sitire. *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.* Jam eò David pervenerat, ut fames famem geminaret, & desideria desideriorum in immensum esuriem cordis incenderent. Potèstne in his beatitudo esse? Planè potest, imò necesse est beatam esse illam famem ac sitim, quam ipsam tam avidè anima esurit ac sitit. Nam cibi quidem corporei fames mala est, & potus corporei sitis est mala, atque ita cibum & potum amamus, ut sitim ac famem nemo amet. Quandoquidem igitur rerum spiritualium fames ac sitis adeò dulces & salubres sunt, ut ijs anima pascatur ac vegetetur, & eorum desiderio exardescat, nò minùs quàm ipsi<sup>9</sup> boni, ad quod tendunt, mirum non erit, esurientes ac sitientes esse felices. *Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?* Ecce lacrimæ desiderij panes sunt. Fames ergo hæc esca & sitis irrigua est. Sed quàm beatum sit hac fame & hac siti laborare, nemo nostrum facile explicet; illi tantum sciunt, qui experiuntur, & neque illi verbis exprimere possunt,

*Psa. 41.  
v. 4.*



sunt, neque, si verbis exprimatur, quif-  
quam, qui minimè degustârit, intelliget.  
Quicquid enim lætum, quicquid suave,  
quicquid beatum in hac vita Sanctis datur,  
id totum nihil aliud est, quàm sitis & fa-  
mes, & cùm plus datur, augentur sitis &  
fames. Omnia enim spiritualia dona,  
quò magis animum ad præmia futura di-  
sponunt, eò flagrantior in ea famem  
æternæ illius refectionis accendunt. Sed  
neque in æterna beatitudine fames hæc  
cessabit, cùm scriptum sit: *in quem deside-  
rant Angeli prospicere.* Quid igitur bea-  
tius ea fame ac siti? quæ & nos ad beatam  
illam vitam unà disponit, & cum illa e-  
tiam perpetuò permanebit, factura, ut  
bonum, quod semper uberrimè haurie-  
mus, perpetuâ æternitate sitiamus. Ad  
tertium ergo illud deveniamus, &, quæ  
diximus, in verbis atque exemplis Salva-  
toris ostendamus: qui, cùm omnia con-  
summâisset, dixit: *Sitio.* Quid aliud signi-  
ficans, quàm eos, qui ad summam perfe-  
ctionis adductos se viderint, minimè eo  
gradu debere esse contentos, sed semper  
altiùs atque altiùs adspirare. *Cùm hæc*  
*omnia*

Luc. 17.  
v. 10.

*omnia feceritis*, inquit, *dicite servi inu-*  
*tiles sumus*. Cùm igitur nobis magnas  
 virtutes adepti videbimur, cùm præclara  
 earum experimenta cepisse, & edi-  
 disse documenta, cùm magna quæ-  
 dam & admirabilia fecisse: tum primùm  
 incipiendum nobis est, de vita rectè insti-  
 tuenda seriò cogitare, tum primùm nova  
 vota concipienda, nova firmanda decreta,  
 novis ad vitam sanctiorem desiderijs adspi-  
 randum. *Ego dixi, nunc cæpi*. Ipse ad eò  
 loquendi modus sacrarum scripturarum  
 id nos docet, dum ait: *Cùm vidisset, quia*  
*omnia consummata sunt, ut consummare-*  
*tur Scriptura, dixit: Sitio*. Nam, si om-  
 nia erant consummata, cur hoc restabat?  
 Sed, cùm omnia perfeceris, omnia con-  
 summâris, adhuc tibi consummandum  
 ac perficiendum aliquid superest. Noli er-  
 go cum divite plena horrea habente læta-  
 ri, tanquam nihil tibi desit, sed dic: *Sitio!*  
 incipe eò majoribus Deo serviendi deside-  
 rijis inardescere, quò te ab eo videris ma-  
 joribus beneficijs præoccupatum. Nec il-  
 lud oblivioni dederis, cùm diu tuæ perfe-  
 ctioni vacaris, & destinatum ei studio

S

tem-

tempus expleveris, dic *Sitio!* incipe fieri æstuaris salutis alienæ, & eam totò animò cupere, ad eam omnem conatum, quem tibi Dei benevolentia & tuæ vitæ ratio præstat, adhibere.

## CAPUT VI.

*Quintam Beatitudinem esse Caritatis ac Misericordiam in omnes sollicitam exhibitionem.*

**S**tabant autem juxta crucem Jesus Mater ejus & soror Matris ejus Maria Cleopha & Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Jesus Matrem & Discipulum stantem, dixit Matri suæ: *Mulier, ecce Filius tuus:* deinde dicit Discipulo: *ecce Mater tua:* & ex illa hora accepit eam Discipulus in sua. Beatitudinem, esurientium ac sitientium initia & incrementa gratiæ & salutis alienæ, consequitur beatitudo, sollicitè curantium & satagentium, ut omnia frant, quæ adhuc consequenda judicentur proximis profutura. Et hic quoque ordo beatitudinum ad perfectiora progredi-

greditur: prior enim sistebat in votis, hæc ad facta procedit; prior cum sitiante Domino justitiam omnium hominum toto corde sitiebat, posterior cum eodem operante salutem in medio terræ hominum salutem conatur operari, & illud aggreditur, quod est divinorum omnium divinissimum, cooperari Deo in salutem animarum. Quinto enim loco à Domino dictum est: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Sunt autem operum Misericordiæ, & Caritatis duæ classes: altera, quæ Corporeis vacat; altera, quæ Spiritualibus. Illa opem fert corpori, ne ejus necessitatibus anima opprimatur; hæc animam ipsam opportunis subsidijs adjuvat. Primum igitur oportebit, quid ea misericordia sit, deinde quo pacto ea nos beatos reddat, postremò qua ratione eam ex hoc Salvatoris verbo discamus, ostendi. Est Misericordia quædam divinæ operationis imitatio, quâ ut ille bonitatem suam premere, ut ita dicam, & continere non potuit, quin eam creandis primùm rebus, deinde eisdem Salvatoris passione renovâdis exerceret, ita

pectus humanum Deo plenum quiescere non potest, donec, quod in se concepit boni, id in omnes, quocumque se oportunitas dederit, effundat. Quemadmodum igitur Dei Bonitas duplici opere se prodit, naturæ & gratiæ, seu Creationis & Reparationis, ita Misericordia, sive quod idem est, Caritas ejus imitatrix in utriusque ordinis opera gestit erumpere, & naturæ bona & gratiæ ministrare, & corpori & animæ opem ferre, &, quod Dominus in Creatione formavit, reficere, &, quod in Reparatione restituit, ad eam integritatem referre conatur. Totum hominem Dominus salvum fecit, totum, si fieri posset, Caritas salvum facere contendit. Hinc Domino in monte specimen suæ claritatis edenti apparent Moyses & Elias, perfectorum virorum par, quorum uterque clarus exemplis charitatis utriusque geminatae misericordiæ largitate & animas pavit & corpora. Moyses enim legem dedit, manna, fontem, coturnices. Elias prophetis sermonibus claruit, & viduas pavit, & pluvias cum voluit, retinuit, cum voluit dedit. Quanquam apti-

us fortè dixerimus, Moysen corporeæ misericordiæ opera designâsse, cum ipsa lex non nisi externa quædam spectare videatur, Eliam zelo Domini flagrantem, in cuius spiritu ac virtute Joannes quoque venit, Spiritualis misericordiæ opera significare. Dominum verò, qui medius stabat, utriusque liberalitatis fuisse simulacrum. Quippe qui & panes populo ad sustentandum corpus dederit, & animas verbò suò refecerit. Quicumque ergo ejus in se caritatis affectum semel concepit, is nihil omittit, quod alijs prodesse aliquo modo possit. Et primùm quidem Sancti solent corporea caritatis opera exhibere, deinde ad spitualia gradum facere: Sic Apostolos & Sectatores suos Dominus iussit primùm vendere omnia, quæ habebant, & dare pauperibus, deinde eos misit evangelizare. Hoc verò quàm beatum sit, non possumus aliter meliùs probare, quàm verbo Salvatoris, *beatius est, magis dare, quàm accipere*. Non modò igitur beatum est opera misericordiæ exhibere, sed beato beatius, ac divino divinius, sive, ut Beatus ac Divinus ait Diony-

sius, divinorum omnium divinissimum. Nec difficile est id probare; nam beatus est, qui Deum possidet, *Deus autem caritas est, & qui manet in Caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* Beatum ergo hominem in hac vita facit caritas, quantam hujus vitæ misera conditio beatitudinem capit. Ille eâ fruitur, qui caritate fruitur; sed qui non tantum ipse eâ gaudet, sed in alios quoque eam derivat, ille etiam beatior est: auget enim beatitudinem caritatis ille actus, qui ipsam auget caritatem, quam effundit. *Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem.* Principes, qui se volunt id esse, quod audiunt, nihil habent gratius, nihil quô magis oblectentur, quàm cum clementiæ ac liberalitatis ostendendæ ijs opportunitas datur; in eo enim se maximè rerum moderatores ac dominos agnosci vident. Ita ille quoties nihil toto die beneficij præstiterat, vespere tristis ac mœrens, amici, aiebat, perdidimus diem, hac die non fuimus, quod vocamur. Quod si opes aut fundos elargiri principem ac regem facit, spiritualia charismata dispensare, pœne dixerim, Deum facit.

Quid

*Psa. 40.*  
*v. 2.*

Quid ergo beatius, quàm id facere, quò  
 maximè Deus lætatur, & gaudet? *Lætatur enim Dominus in operibus suis*, boni-  
 tatem suam ubique diffundens. Nõne ip-  
 sam Angelorum beatitudinem aliquo mo-  
 do auget unius peccatoris ad Deum con-  
 versio? *Gaudium quippe est Angelis Dei  
 super uno peccatore pœnitentiam agente.*  
 Quis non gaudeat, quis non putet se bea-  
 tum, si ei liceat aliquem ex errore deduce-  
 re? *Beati igitur misericordes.* Nunc, quo  
 pacto id à Christo Domino exhibeatur in  
 cruce, quod erat tertiò locò propositum,  
 ostendamus. *Stabant, inquit, juxta cru-  
 cem Mater ejus, & soror Matris ejus Ma-  
 ria Cleopha, & Maria Magdalene.* Hæ  
 omnes mulieres Domino ministraverant:  
 Mater ejus nascenti, & inde usque ad gran-  
 diorem ætatem; Maria Cleophae jam do-  
 centi; Maria Magdalene postremo tem-  
 pore. Maria Magdalene illi dederat un-  
 guenta & capillos, id est, superflua, quò  
 significaverat eos, qui ex ijs, quæ cadunt  
 de mensa, & quæ ipsis superfluunt, pau-  
 peres alunt. Maria Cleophae cibus eum  
 aluerat, quos, ut credibile est, de suo pau-



pere penu detrahebat, quò significaverat eos, qui non de superfluis modo, sed etiam de sibi opportunis ac necessarijs aliquid decerpunt, quò indigentibus largiantur. Maria Virgo præter hæc omnia sanguinem ei dederat, sui que integerrimi corporis partem, quò eos significaverat, quorum perfecta caritas eò pertingit, quò nihil ulterius esse potest, ut pro salutis alienæ procuracione sanguinem profundant. Majorem enim caritatem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis. *Videns ergo Jesus Matrem & discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo, ecce Mater tua.* His verbis utrumque genus misericordiæ exprimitur, & commendatur. Nam cur discipulo, quem diligebat, Matrem dedit? nisi ut ab ea velut Matre aleretur lacte divinæ sapientiæ, quò ea redundabat, postquam ipsam Sapientiam aluerat. Cùm enim scriptum sit: *Audi fili mi præcepta matris tuæ*, proculdubio eo fine discipulo juniori Sapientissima Mater data est, ut ea illum instrueret, & præceptis vitæ saluberrimis edoceret: nam

nam & Magistram Apostolorum eam vocant Sancti Patres, & præcipuè Joannis, qui fortè ideo præ cæteris omnibus Sacris Scriptoribus altissimè, ac divinissimè scripsit, quia peculiariter ab ea est eruditus. Nihil enim omittebat Virgo Sanctissima beneficij, quod in filium Joannem conferre posset, tum quotidie ampliores & uberiorès à filio collustrationes & incrementa divini amoris ei impetrans, tum arcana divinæ sapientiæ, quæ olim recondiderat, conservans omnia verba filij, & conferens in corde suo triginta annis, Joanni aperiens, tum exemplò incomparabilis sanctitatis, prudentiæ ac modestiæ ad perfectiora semper illum quotidie parere videbatur, dum quotidie hoc magisterio proficiens renovaretur spiritu mentis suæ, ac diceret cum Propheta: *Renovabitur ut aquila juvenus mea.* Hæc igitur contemplantes discamus, opera misericordiæ spiritualis proximis exhibere, pro ijs orando, verbis eos ad omnem virtutem excitando atque instruendo, exemplò ea, quæ docuerimus, confirmando. Et quotquot sunt animæ hominum, tot nobis filios esse

*Psa. 102  
v. 5.*

arbitremur, quibus, si minùs re atque effectu prodesse possimus, animò certè & voluntate conemur. Vicissim autem Joannem contemplemur Virgini ministrantem; statim enim illam accepit in sua, statim Dominam constituit domus suæ. Quàm putas eam diligentiam vel ab insidijs Judæorum defendit, vel à tempestatum injurijs, vel, nequid ei decisset, ubique prospexit? Ephesum quoque eam duxit, ut, qua in urbe Diana ab Ethnicis templò totius Asiæ celeberrimò colebatur, in ea Dei Mater à pijs coli inciperet. Discamus & nos Joannis imitatione tum proximis nostris omnia ad vitam tuendam opportuna sollicitè ministrare, tum sacris templis & religiosis domibus omnem liberalitatem ac beneficentiam exhibere.

## CAPUT VII.

*Sextam beatitudinem esse Munditiem cordis Innocentiã & Simplicitate constantem.*

**E**T circa horam nonam exclamavit Jesus voce magna dicens: *Eli Eli! lamma*

*lamina sabaethani? hoc est, Deus meus,*  
*Deus meus! ut quid dereliquisti me?* In  
 hoc Domini Verbo Sextam Beatitudinem  
 contemplantur, in cordis Munditia con-  
 sistentem. Cùm enim ijs, qui Cor mun-  
 dum habent, peculiare ac proprium sit,  
 semper Deo frui, contemplatione & affe-  
 ctu ei inhaerendò: *Beati mundo corde,*  
*quoniam ipsi Deum videbunt:* nulli ma-  
 gis id debebatur, quàm Christo Domino,  
 cujus humano corde nihil potest innocen-  
 tius, nihil purius, nihil mundius cogitari;  
 & tamen in ijs supremæ passionis angustijs  
 ad summam & cumulum cruciatuum om-  
 nium hoc ultimum accessit, ut pars inferi-  
 or sacræ illius animæ, omni superioris il-  
 lustratione & consolatione fraudata, deser-  
 tam se jure quereretur, dicens: *Deus me-*  
*us, Deus meus! ut quid dereliquisti me?*  
 Primum igitur, in quo maximè cordis  
 mundities posita sit, videamus: deinde  
 quàm beati sint, qui cor mundum habent:  
 tertio quid hæc Domini verba nos doce-  
 ant. Sanè quid sit cor mundum, facilius est  
 verbo dicere, quàm experimentò nôsse.  
 Cor vocamus Rationalem animæ partem;

in

in corde enim spiritus gignuntur, qui deinde in caput ascendentes illic rationis opera exercent: Sacrae autem litterae fontem, unde vis intelligendi manat, spectantes, in Corde eam potius quam in capite ponunt. Ratio porro humana Intellectu & Voluntate constat. Illud igitur cor mundum, cuius neque in Intellectu macula est, neque in Voluntate. Maculatur autem Intellectus maximè dolis, fallaciâ, falsitate. Voluntas rerum omnium aut pravus aut vanis affectionibus. Ita neque dolosum & fraudulentum cor mundum est, neque id, quod rerum terrenarum affectionibus inquinatur. Superna illa Hierusalem, quæ à pacis æternæ visione nomen accepit, cordis mundi symbolum esse potest, quæ tota esse dicitur ex auro mundo simili vitro mundo. Duo sunt in vitro mundo, perspicuitas, & ab omni sorde pura mundities. Duo Cor mundum habet, Simplicitatem, quæ est quædam animi perspicuitas, in quo nihil opaci est, quò dolus tegatur, nihil, quod radios veritatis excipi ac transmitti vetet: atque Innocentiam, quæ est omnis non modò cul-

pæ expers sanctitas, sed ab omni quoque affectu terreno, nedum sordido libera. Mundum cor primò est sincerissimâ simplicitate pellucidum, totum pervium veritati, nullius fallaciæ coloribus imbutum, nulla erroris labe maculatum, *Simile vitro mundo*. Deinde affectu voluntatis est purum, solidum, *aurum mundum*, absq; omni scoria vitiosæ affectionis. Sed quia mundities ex voluntate in intellectum transit, & ex innocentia simplicitas oritur, ideo priùs aurum, deinde vitrum nominatur, cùm dicitur: *Aurum mundum simile vitro mundo*. Nec prætereundum est, utrumque exemplum significare ejusmodi munditiem, quæ non modò maculâ & sorde careat, sed nec eam recipere apta sit. Nam lignum, vestis ac multa alia, etsi munda sint, facillimè tamen maculas ejusmodi concipiunt, quæ difficilè elui possunt: at vitrum mundum sordes vel maculam contrahere non potest. Aurum quoque mundum ne auruginem quidem patitur; ita cor mundum ejusmodi esse debet, ut non modò nullam habeat maculam, sed omnem respuat, ac rejiciat: ac voluntate

qui-

Apocal.  
21.v.18.

dem ita dispositum sit, ut non modò nullius culpæ contagione sordescat, non modò nullius affectus humani, nedum sordidi labem retineat, sed expurgatum atque excoctum instar auri perpetuò purum maneat, nec ullam auruginem reddat, denique nec facilè extrinsecus ei aliquid luti, vel cæni injectum concreseat, aut aliùs immissum concipiatur, sed excidat statim, aut leviter eluatur. O qui tale cor aureum haberet, in quo nihil scorix esset! Quid ejusmodi corde pretiosius? Quoad intellectum verò ita se habet cor mundum, ut simplicissimum ac sincerissimum sit: & sicut vitrum nihil aliud quàm lucem capit, cætera omnia excludit, humores, liquores omnes, qui omnia corpora pervadunt, vitrum non excipit; soli patet luci, reliquis omnibus impervium est, ita cor ejusmodi veritatem tantùm novit, huic totum patet, hanc neque excludere advenientem potest, neque exceptam cohibere, aut occludere. *Annunciavi veritatem tuam in Ecclesia magna. Ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti. Veritatem tuam non abscondi in corde meo. Vi-*

*Psal. 39.  
v. 10.*

des pellucidum cor Davidis? quod nimirum erat secundum Cor Dei, quod pura lux est, pura veritas: & alibi ait: *Non adhaesit mihi cor pravum.* Nullius fallaciae gluten, aut viscus adeò tenax fuit, nullius aulicæ fraudis bitumen adeò rapax, ut me ad se pertrahere posset, aut meo cordi vel leviter adhæresceret. Cor enim ejus Crystalinum erat cœlo simile, ut nihil aliud, quàm ad divinæ lucis radios excipiendos ac transmittendos factum videretur. Ex his ergo cum constet, quid sit cor mundum, difficile non erit ostendere eos beatos esse, qui hujusmodi cor habent. Primum quidem humana quadam & humili beatitudine, quæ in tranquillitate animi posita est. Sanè ipsa tranquillitas nihil est aliud, quàm cordis mundities. Quid enim est, quò cor mundum turbari possit? Num culpæ conscientia? innocens est. Num violentior aliquis affectus? purum est ab omni cupiditate. Num suspicio, error, occulta machinatio? Simplex est. *Quid est, inquit Apostolus, quod vobis nocere possit, si boni emulatores fueritis?* hoc est, si id tantum judicetis, quod verum est, nulla fraus,

Psa. 100  
v. 3.



fraus, nullus dolus vos perturbet, si id tantum amaveritis, quod amandum est, nullus vos rerum humilium aut sordidarum affectus ceperit, quid est, quod vobis nocere possit? Impediet me quicquam, quò minus vero assentiar, falsum averser? Obstabit quidquam, quò minus voluntatem meam ab omni sordido ac me indigno amore contineam, ac puram servem? Hoc si nemo prohibebit, nec voluntas nec intellectus unquam suo bono carebunt. Id si erit, beati erimus. Dixi hanc humiliorem & humanam beatitudinem esse, quæ etiam Philosophis nota fuit. Sed est altior & sublimior beatitudo, quâ frui cor mundum necesse est, Dei præsentia. Deus enim Lux est, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & quemadmodum sole fulgente, quicquid est pellucidum seu diaphanum, ut vocant, illuminatur, ita quicquid est usquam purum, mundum, expers fraudis ac doli, statim divinæ lucis radios concipit. Omnis anima veritatis est cupida: Ipsa autem veritas longè cupidior est sui ostendendi; lux enim est, & illuminare omnes amat, pro  
inde,

inde, nisi alicujus erroris aut fraudis opacitas obsistat, diffunditur ac fulget. Deus idem bonum est; omnis anima boni cupida est, bonum autem ipsum longè cupidius sui diffundendi, ut, nisi cor pravo aliquo affectu præoccupatum sit, continuò in id se insinuet, totumque occupet. Quid autem beatius, quàm voluntatem nostram totam Dei bonitate, intellectum totum Dei veritate occupari? His ita expositis, ad ipsa Domini verba contemplanda veniamus. Ait enim: *Deus meus, Deus meus! ut quid dereliquisti me?* justa querela mundissimi cordis: ac si diceret. Mi Deus, mi Sol, mea lux! quid est, quòd in cor meum nullos radios immittis? certè illud nulla labes tegit, nulla nubes obvolvitur, nulla caligo operit. Sed, quia Dominus Psalmum Davidis usurpavit, quem etiam, ut aliqui putant, totum submissa voce percurrit, minimè omisit deinde rationem afferre, cur Deus in cor ipsius mundissimum desisset aliquandiu radios suæ consolationis immittere. Longè, inquit, à salute mea verba delictorum meorum. Delicta enim nostra, quæ sua vocat, quia in se suscepe-

*Psa. 21.  
v. 2.*

sceperat, nubem interposuerant, quâ Do-  
 mini cor tegebatur, & perpetua illa supe-  
 rioris partis illustratio arcebatur. Hæc e-  
 rant, quæ, ut extrinsecus claro meridie  
 nocturnas tenebras fecerant, ita interio-  
 rem illum solem superioris animæ partis,  
 qui perpetuo meridie beatitudinis fulgens  
 inferiorem sacræ illius animæ partem col-  
 lustrabat, eo tempore distinebant, ac radi-  
 os vibrare prohibebant. Ergo peccata no-  
 stra non modò dividerunt inter nos & De-  
 um nostrum, sed in ipso Deo ac Domino  
 nostro eam divisionem & Ecclipsim fece-  
 runt. Cordis nostri imundities cor mun-  
 dum Domini texit & obumbravit. Sit no-  
 bis in posterum mundissimum cor, sim-  
 plex, innocens, purum, inscium doli, in-  
 scium culpæ. Sed quo pacto id nobis erit,  
 cum figmentum cordis humani primum  
 sit ad malum omni tempore? tu igitur Do-  
 mine, cor mundum crea in nobis: crea,  
 inquam, de nihilo; hoc enim, quod habem⁹,  
 ita penitus maculas sordēsque vitæ hujus  
 imbibit, ut ijs nullò modò expurgari pos-  
 se videatur. Ades in nobis emundator cor-  
 dium Spiritus, aqua munda, ignis expur-  
 gans

gans, & in nobis munda, quod est sordidum, quò corde puro & simplici te perfruamur largiùs.

---

CAPUT VIII.

*Septimam Beatitudinem esse perfectam Pacificationem.*

**C**ùm ergo accepisset acetum, dixit: *Consummatum est.* Verbo hoc Dominus indicavit, officiò Mediatoris, ad quod peragendum missus fuerat, se jam functum esse, & pacificasse omnia, quæ in cœlis, & quæ in terris sunt, atque adeò respondet septimæ Beatitudini: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Nostrum ergo erit, contemplari primùm perfectam pacificationem, quam Filius Dei fecit in Cruce, deinde conari eam imitari, ut & nos filij Dei vocemur. Tria inter Deum & res creatas maximè dissidia erant, ad quæ concilianda Pacis sequester missus est Dominus. Primum Naturæ; nam Divina erat infinites altior & perfectior omnī re creata, & proinde chaos magnum erat

T 2

inter

inter nos & ipsum. Secundum Intellectus; nam nulla mens creata poterat scire consilium Domini, nec vias eius, nec divinæ veritatis arcana. Tertium idque gravissimum, Voluntatis; nam Deus à Creatura ob vetera ac nova scelera meritò erat aversus, & Creatura vicissim à Deo, quem non amabat, & cui sui ipsius amorem præponebat. Hæc tria dissidia Christus Dominus conciliavit. Primum initiò vitæ suæ, quò natura creata est ita juncta Divinæ, ut eadem Persona Deus, atque Homo esset; Secundum totâ suâ vitâ: exemplis enim ac verbis docuit nos divinæ veritatis arcana, adeò ut Apostolis suis dixerit: *quacun- que accepi à Patre meo, nota feci vobis.* Tertium supererat gravissimum, voluntatum. Hoc in Cruce conciliatum est, in qua Deus Homini, Homo Deo conciliatus est, quod admirabili sententia Paulus expressit: *Deus erat in Christo Mundum reconcilians sibi.* Quanti ad Universi perfectionem retulerit ea conciliatio, inde facillè intelligi potest, quòd in ea Consummatio totius divini operis & perfectio consistebat. Creaverat hoc Univerſum Deus, & in

& in eo Principem Hominem constitue-  
 rat, in Homine verò Voluntati principa-  
 tum dederat, ut, cùm hæc boni cupida  
 nusquam illud alibi quàm in Deo reperi-  
 ret, eique se traderet, tota rerum series in-  
 tegra constaret, & circulus quidam fieret,  
 dum, quæ creata sunt, omnia à Deo pro-  
 fecta per hominem ad Deum redirent.  
 Homine igitur hujus constitutionis ordi-  
 nem perturbante, dum se à Deo avertit,  
 & res creatas, quibus famulis uti debebat,  
 adamare & colere incepit, fiebat, ut tota  
 hæc rerum Universitas id, quò unò maxi-  
 mè constat, amitteret, hoc est, Ordinem,  
 & Structuram. Et, quia cunctæ res à fine  
 bonitatem desumunt, inde felices, inde  
 perfectæ nominantur, fine sublato nihil  
 erat perfectum, nihil felix, nihil bonum;  
 Homo enim cùm ipse se à Deo abstraxis-  
 set, nec bonus, nec felix esse poterat; cæ-  
 tera autem omnia, quæ ad hominem diri-  
 gebantur, ut mediò ipsò Deum attinge-  
 rent, eique cuncta felicia atque perfecta  
 evaderent, postquam scelere hominis eo  
 fine frustrari cœperant, & ipsa perfectio-  
 ne ac felicitate sua carebant. Ita tota re-

rum conditarum Universitas in summa perturbatione ac miseria versabatur. Bene igitur S. Paulus illum loquendi modum usurpat: *Per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors.* Licet enim non nisi in hominem propriè peccatum & mors venerint, tamen per hominem peccatum & mors in mundum ipsum venerant, mundum ipsum perturbaverant, ac sua felicitate privaverant. Propterea necesse erat, per alium hominem Deo mundum conciliari, quod per Christum Dominum in Cruce factum est. Quo pacto autem Homo Deo conciliatus sit in Cruce, explicat idem Dominus, cum ait: *Ego, si exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad me ipsum.* Ecce, iterum series rerum in suum ordinem restituta est; Christus enim in Cruce pendens, tum efficaciã gratiæ suæ, tum tanti amoris indicio cunctos ad se amandum traxit, atque adeò totam rerum Universitatem: ipse verò mox Deo se tradidit, dicens: *In manus tuas commendo spiritum meum:* atque ita rerum annulus quidam perfectus est, ad suum principium rebus redeuntibus, & orbe con-

Rom. 5.  
v.12.

Ioan. 12.  
v.32.

Luc. 23.  
v.46.

concluso. Acetum autem, quod accepit, antequam verba illa proferret, significavit Hebraicam Synagogam, quæ jam accebat, quæ vinea olim dilecta & magnò studio à Deo culta atque ornata, cùm maximè debuisset ei pietatis ac dilectionis vinum reddere, acetum ingrati ac sævi animi reddidit. Hoc acetum sumens Dominus ac degustans, id est, postquam de Synagogæ perfidia supremam sententiam tulit, eamque damnavit ac rejecit, & statuit Ecclesiam instituere, dixit: *Consummatum est.* Sed longè majus erat opus Deum homini conciliare, quàm hominem Deo. Hoc quoque Dominus in cruce præstitit, oblatione sui ipsius ac sanguinis effusione, quâ, quicquid offensæ ab hominibus Deus acceperat, & accepturus erat, compensavit obsequiò longè gratiore, & omnem injuriæ excedente gravitatem. Hæc de pace, quam Dominus fecit. De ea nunc agendum, quam nos facere jubemur, & quæ beatos nos facit, ac Dei Filios nominat. Ea pax est consummatio perfectionis in nobis, atque in omnibus tum privatim tum communiter: Pacis enim nomine in

Ioan. 19.  
v. 30.



sacris litteris summa perfectio, & ipsa etiam  
 beatitudo vocatur; idque non aliam  
 ob causam, quàm quòd pacis nomine ve-  
 niat ordo ac recta partium inter se conspi-  
 ratio: cùm unaquæque suum locum te-  
 net, ac munus exercet, tum omnia in pa-  
 ce esse dicuntur, cùm nec tyrannis vexat,  
 nec tumultus gliscit, nec bellum fervet,  
 sed principes imperant, magistratus jus di-  
 cunt, subditi obtemperant; in eo autem  
 ordine rerum omnium perfectio posita est.  
 Nobis igitur studendum est, ut pacem ser-  
 vemus, & ubi desit, conquiramus in no-  
 bis ipsis & in alijs. Primùm in nobis ipsis  
 in corpore, nequid nimiam in nos aut indul-  
 gentiam aut severitate peccemus; in animo,  
 ne illum varijs agitari motibus, perturbari-  
 que patiamur; inter animum & corpus,  
 ut alterum obsequi discat, alter imperare;  
 inter superiorem atque inferiorem ani-  
 mi partem, ut hæc suas appetitiones, suos  
 sensus in obsequium rationis aut exercent,  
 aut cohibeat, aut intendat, aut remittat,  
 illa hanc regat, ac moderetur, & justò im-  
 periò temperet; inter Rationem ac De-  
 um, ut iustificati ex fide pacem habeamus

ad

ad ipsum, cum toto corde, omnibus viribus diligentes, in eoque omnem spem nostram ponentes. Deinde nobis cum omnibus, quæ extra nos sunt, pax & concordia sit: *si fieri potest, cum omnibus hominibus pacem habentes*, ut nulli irascamur, nulli bellum inferamus; sin aliter ratio ac divina lex cogit, dum vitijs indignamur, hominibus ne simus infensi; dum bellum justè ciemus, pacem inter arma quæramus. Quodsi nobis hæc agentibus obsistat alienæ improbitatis audacia, cum ijs, qui oderrunt pacem, simus pacifici; non desistamus hortari verbo, factis docere, invitare clementiâ, quicquid humana solertia comminisci possit, adhibere, ut, quicumque sunt pacis inimici, Domino favente resipiscant. Hoc erit Filium Dei agere inter homines; hoc qui agunt, summum opus ac maximum omnium, quæ in hoc universo agi possunt, agunt. Animadvertendum est, ut, quanta res sit Pacem inter homines conciliare, discamus, cum vel maximè inter misericordiæ opera locum habeat, pacem lancire inter homines, tamen huic uni operi peculiarem beatitudinem esse attributam eamque septi-

Rom. 12  
v. 18.

T s

mam,

*Matt. 5.  
v. 7.* mam, id est, unâ exceptâ perfectissimam,  
& cœteris misericordiæ operibus parem  
vicem adpromissam: *Beati misericordes,  
quoniam ipsi misericordiam consequen-  
tur:* at paci quæsitæ attributum esse, quod  
summum est, Filij Dei vocabuntur; nam  
hoc unum opus tantò cætera omnia exce-  
dit intervallò, quantò plus est Filium Dei  
vocari, quàm Misericordiam consequi.  
Solliciti ergo simus, in nobis atque in om-  
nibus conservare unitatem spiritûs in vin-  
culo Pacis.

## CAPUT IX.

*Octavam Beatitudinem esse,  
constanter Deo adherere in adver-  
sitatibus & persecutionibus.*

*Luc. 23.  
v. 46.* **E**T clamans voce magna Jesus ait: Pa-  
ter, in manus tuas commendo spiri-  
tum meum. Octava Beatitudo est; *Beati,  
qui persecutionem patiuntur propter ju-  
stitiam, quoniam ipsorum est Regnum cœ-  
lorum.* Eam persecutionem nemo gravio-  
rem passus est, quàm Dominus in cruce,

qui propterea animam suam Patri commendavit, Regnum coelorum statim ingressuram, hoc est, consummatam beatitudinem. Duo hinc discamus. Primum exemplò Donini graves nobis toto vitæ decursu persecutiones esse tolerandas. Deinde, nullum ad eas ferendas præsentius auxilium esse, quàm se totum Deo tradere, eique perpetuò adhærere. Initiò libri primi ostendimus, eos, qui statuunt piè vivere in Christo, Jesu, persecutionem passuros, & quò mementò temporis quis apud se constituat, Christi Domini vestigia sequi, eodè dæmones atq; homines consilium adversùs eum convocaturos, quò in ejus perniciem extrema quæque moliantur. Nunc eventu ipso discimus, eam insectationem non antè finiendam, quàm noster vitæ cursùs ad metam pervenerit. Contemplemur, qualem Dominus & quàm gravem sustinuerit contradictionem. Neque nunc ea, quæ ab initio vitæ passus est, repetam, quo pacto eum, antequam nasceretur, Draco ille, qui est in Apocalypsi, ad mortem insectatus sit. Exclusus enim omni hospitio ( quoniam ita secum agi permisit )

in

in caula pœne sub dio coactus est nasci, quod in tenerrima infantis delicatissimi constitutione facilè hiberno tempore poterat esse lethale. Deinde, vix natus Herodis sævitiam compulsus est fugere, & in Ægyptum abductus inter impios & infensos antiquam gentis suæ servitutem regustavit. Hæc omnia omittamus, ac totius etiam triennij labores, & ærumnas, & quæ varijs modis à Judæis passus est, omnia prætereamus. In hoc uno extremo die sistamus. Quid fuit hominum, quid furiarum ac dæmonum, quod non hoc die in eum conjurâsse videatur? *Quare fremuerunt gentes, id est Ethnici, & populi meditati sunt inania? id est turbæ Judaicæ. Adstiterunt Reges terræ, id est Principes, Pontifices, Præsides, & Principes cõvenrunt in unū, id est, Principes tenebrarum, Dæmonū capita, ac duces simul omnes, adversus Dominum & adversus Christū ejus.* Nemo erit usquam, in quem tam multi conjurent, nam in Dominum Angeli & Homines conspirarunt: Homi- nū quidē Ethnici & Judæi, Reges & Subdi- ti, Romani ac Barbari, Milites & Ci- ves,

*Psal. 2.  
v. 1.*

ves, Ecclesiastici & Sæculares, Litterati  
 & Indocti, Magistratus & Privati, Noti  
 & Ignoti, Amici & Adversarij. Cui ca-  
 lumniæ pepercerunt? Quod genus inju-  
 riæ omiserunt? Quam unam ex ejus re-  
 bus non hostiliter insectati sunt? Abstulêre  
 ei statim discipulos, quos abegerunt; co-  
 rum ducem ac suum vicarium, quem ad se  
 negandum compulerunt; Matrem & con-  
 sanguineos, quibus nullus ad eum patuit  
 accessus; famam, quam indignis crimina-  
 tionibus oppresserunt; libertatem, quam  
 vinculis arctarunt; venerationem, quam  
 alapis, sputis, calcibus conculcarunt; in-  
 nocentiam, quam calumnijs mendacissi-  
 mis gratis expugnarunt; pulchritudinem,  
 quam sordibus, ictibus, vulneribus cor-  
 ruperunt; eloquentiam, quam impurissi-  
 mis vocibus obstrepentes, silere in sua cau-  
 sâ coegerunt; majestatem, cui regis di-  
 gnitatis injectis exuvijs impudenter illuse-  
 runt; nobilitatem, quâ contemptâ, vilif-  
 simorum latronum supplicium eum subire  
 voluerunt; commiserationem, quæ omni-  
 bus hominibus communis est, quam ipsi  
 uni denegarunt; favorem aulicum, quem  
 cum

302 DE PASSIONE DOMINI.  
cùm Herodes & Pilatus decretâ ejus innocentiâ detulissent, ipsi pertinaciter obstiterunt; præsidium religionis, à quo cùm vel reus dimissionem impetrare potuisset, ipsi ex eo tantam infamiam ei auxerunt, Barabbâ ejus loco dimissô, & supplicium etiam augere voluerunt, dum specie pietatis, ne remaneret in cruce corpora Sabbathô, jam à Pilato poposcerant ejus crura comminui, nisi clementior ipsi mors & militum humanitas ex antiqua vatum prædictione tam fædum spectaculum avertissent; denique vestes, quas in ludum & prædam verterunt; manus ac pedes totumque corpus, quod cruci affixerunt; sanguinem, quem clavîs, & lanceâ ad ultimam usque guttam exhauserunt; animam ac vitam, quam inter tot ei cruciatus tam citò ademerunt, ut mirati sint, adeò celerem suæ crudelitatis effectum. Possemus etiam dicere, ipsa elementa & mundum ipsum illi ademptum, dum terram illi eripiunt, à qua sublatum in crucem extulerunt; & aquam, cujus ne haustum quidem dedere sitienti; & solem ipsum denique, cujus Ecclipsis proculdubio ipsorum fuit  
parri-

parricidij detestatio. Quis unquam plura,  
 quis totidem amisit? Cui tam gravis per-  
 secutionis unquam procella incubuit? Ut  
 posset planè Dominus hac tempestate o-  
 brutus dicere cum Jona: *Projecisti me in*  
*profundum in corde maris, omnes gurgi-*  
*tes tui & fluctus tui super me transierunt:*  
*circumdederunt me aqua usque ad ani-*  
*nam, abyssus vallavit me, pelagus operu-*  
*it caput meum: & cum Davide: Intra-*  
*runt aqua usque ad animam meam, infi-*  
*xus sum in limo profundi, & non est sub-*  
*stantia, veni in altitudinem maris, &*  
*tempestas demersit me.* Quicumque igitur  
 statuimus, piè vivere in Christo Jesu, qui-  
 cumque decrevimus ejus sequi vestigia, &  
 ad passionis ejus exemplar vitam omnem  
 conformare, ne in animum indueamus, se-  
 cundioribus auris velle iter hoc agere, &  
 mari pacatiore. Luctandum est nobis inter  
 similes procellas: *Nonne hac oportuit pati*  
*Christum, & ita intrare in gloriam suam?*  
 Num discipulus est super Magistrum, aut  
 servus super dominum suum? aut ovis est  
 pastore pretiosior? aut quàm caput præcessit,  
 pes subsequi dedignabitur? Sed quid ego  
 hæc

Ioan. 2.

v. 4. 36

Psal. 68

v. 2.

Luc. 24

v. 26.



hæc dico: Velis nolis, procellosum mare  
 erit, quocunque tendas; quemcunque ven-  
 tum sequi, quemcunque portum petere,  
 quæcunque fidei observare velis. Perlege  
 veterum annalium monumenta, exquire  
 ab ijs, qui multa viderunt, quibus rerum  
 humanarum status longo usu cognitus, at-  
 que exploratus est, sciscitare omnium sæ-  
 culorum, omnium gentium, omnium pro-  
 vinciarum peritissimos quosque, nil aliud  
 intelliges, quàm ubique Syrtes, ubique  
 Scyllas & Charybdes esse, omnia tempe-  
 statibus & periculis ubique plena: occul-  
 tiora graviora esse, & quibus fragoris  
 plus sit, per ea tutius navigari. Neque,  
 si non ita esset, bonus Dominus eiusmodi  
 vitam unquam instituisset, cùm enim no-  
 bis vitæ Magister ac Rector datus esset,  
 necesse erat, id eum vitæ genus deligere,  
 quod maximè commune esset omnium  
 hominum, in quo maximè specimen uni-  
 versæ vitæ humanæ edi posset, ob quam  
 causâ neq; Rex, neq; Præles, neq; horum ali-  
 quid esse voluit, quod paucis contingit; arte  
 nullam factitavit, scientiam nullam pro-  
 fessus est, magistratum nullum gessit, nulli  
 reipû-

reipublicæ parti se addixit nequis esset, qui minùs ad se ejus exemplum crederet pertinere, si fortè eum cerneret, uni alicui vitæ generi esse deditum. In urbe promiscuo quodam & vilitu & victu & conversatione usus est, ut se omnibus commodum & facilem magistrum exhiberet. Quodsi hominibus commune non esset, insectationes adversariorum pati, ne id quidem suscepisset, sed illum vitæ statum ac temperationem, quâ mortales plerique uterentur. At nunc eam vitam elegit, in qua plurimum esset ejusmodi molestiarum, ut, quia necessariò nobis hæc eundem est, itineris Ducem ipsum haberemus, per difficillima & asperrima quæque præeuntem. Hoc primum igitur sit, quò intelligamus, beatos esse, qui piè viventes persecutionem patiuntur: nam cum alioqui ea passuri essent, si perditè viverent, & fortè graviora, felices sunt, qui in necessario malo præmium & laudem merentur; felices qui, quod patiuntur, quia homines sunt, in eo Deum ducem sequuntur, ut, ubi vel maximè miseras ferant infirmitatis humanæ, ibi vel maximè gloriantur

rientur quadam virtutis imitatione divi-  
næ. Altera beatitudo est, quòd, qui Chri-  
stum sequuntur, ij plerumque, ut Petrus,  
super tumentes aquas ambulent siccò vesti-  
giò, neque mergantur, nisi fortè dubitan-  
tes, ac ventum validum spectantes potius,  
quàm eum, ad quem tendunt. Et in omni-  
bus his superamº, agebat ille, qui tam mul-  
ta & gravia ferebat propter eum, qui di-  
lexit nos. Tertia demum est beatitudo,  
quia utcunque res cedat, sive oppriman-  
tur, & pessum eant corpore, famâ, rebus  
omnibus externis, sive hisipsis integris e-  
natent, semper ingentem, incomparabi-  
lem, immensam vim opum spiritualium  
ex hujusmodi naufragijs conquirunt. Pre-  
tiosam tempestatem quorundam flumi-  
num esse dicunt, quorum arenæ aureæ  
tranquillitate subsidunt, tempestate eje-  
ctantur ad ripam. Nihil his procellis pre-  
tiosius, quibus omne bonum animæ ac-  
quiritur, lux, fortitudo, spes, humilitas,  
mortificatio, tranquillitas, patientia, quid  
non? Denique, nisi persecutio beatum ho-  
minem faceret, nunquam diceret Jacobus:

*Jacobus. Omne gaudium existimate fratres, cum in*  
v.2. *variis*

*varias tentationes incideritis.* Nam si gaudium non nisi ex bono præsente oritur, necesse est, omne gaudium non nisi ex omni boni præsentiâ oriri: proinde omne bonum Tribulatio ac Persecutio affert. *Beati igitur, qui persecutionem patiuntur propter justitiam:* patiuntur autem propter justitiam, quicumque patiuntur injustè, imò & quicumque, quod patiuntur, ad justitiæ incrementum dirigunt, undecunque patiantur. Quid ergo agendum persecutione urgente? fugiendum? Quò, quò? nisi ad Deum? pudet me, cum apud Pythagoreos tam multa de fuga ad Deum lego. Ergo illi nôrant, quid esset ad Deum fugere, qui inter eas tenebras, quid Deus ipse esset, ignorabant? Fugere ad Deum, tam necessaria & lumine naturæ nota res est, ut eam vel Pythagoras non ignorârit; nisi velimus, hoc eum è Sacris litteris, ut multa, didicisse: nam quoties id nobis David inculcat: *Deus refugium meum & virtus*, inquit, &: *ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam.* &, *Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu, &: propter nomen tuum dux mihi eris,*

*Matt. 5.  
v. 10.*

*Psal. 45.  
v. 1.*

*Psa. 142.  
v. 9.*

*Psal. 30.  
v. 4.*

V z

& enu.

*Psal. 31. & enutries me, & tu es refugium meum à*  
*v. 7. tribulatione, quæ circumdedit me. Quod*  
 qui perfectè faciunt, ij cum Domino di-  
 cunt: *Pater, in manus tuas commendo spi-*  
*ritum meum.* Singula verba perpendamus,  
 & addiscamus, quid sit nobis in tribula-  
 tione faciendum. *Pater*, inquit: Deum  
 Patrem cogita, & vicisti. Patre Deo hæc  
 pateris vidente, imò omnia in omnibus  
 præter peccata faciente. Quid times, ne fi-  
 lium Pater velit perditum? at voluntariè  
 genuit nos verbò veritatis: nec, ut perde-  
 ret, genuit; fecit enim omnia, ut essent.  
 An fortè metuis, ne, eo te salvum & in-  
 columem volente, aliquis eò fortior te  
 opprimat? sed pergit: *In manus tuas.* Con-  
 templare manus illas, quæ & omnia pos-  
 sunt, & omnia continent, & omnia agunt,  
 & omnia largiuntur; in his manibus es,  
 & times? Timeo, inquis, non quidem ne  
 nolite me salvum, aut ne volens non possit,  
 sed ne ego ipse illius & voluntati, & po-  
 tentiæ obsistam; ego enim solus obsistere  
 ei possum, cujus nemo est, qui possit resi-  
 stere voluntati. Ergo te solum times? tum  
 verò nihil est tibi consultius, quàm ut te  
 ipsi

ipsi totum tradas, & hostem, à quo tibi metuis, potentissimo ac fidelissimo Domino credas: dicigitur: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Pater, cætera ut vis, hunc spiritum meum, in quo tota res & sors mea est, quod unum ego sum, ut salvus sit in die tuo, dignare servandum in manus tuas accipere, dignare perpetuò regere, tueri, continere, ne fugiat à te, qui nunc ab inimicis ad te confugit.

## CAPUT. X.

*Beatos esse, qui in Domino moriuntur.*

**I**esus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum: & ecce, velum templi scissum est in duas partes à summo usque deorsum, & terra mota est, & petrae scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis. Centurio autem, & qui cum eo e-

*rant custodientes Jesum, viso terræ motu  
 & his, quæ fiebant, timuerunt valde, di-  
 centes: verè filius Dei erat iste.* Post adeò  
 ignominiosam & in speciem horribilem  
 passionem sequitur mors plena gloriæ &  
 plausûs. Primùm igitur contemplemur,  
 quàm honorifica & gloriosa fuerit Domi-  
 ni nostri mors; deinde discamus, eos, qui  
 vitæ ejus exempla fuerint secuti, beatissi-  
 mam mortem obituros. Brevis est passio-  
 nis dies, citò evolvitur, citò præterit, eum-  
 que læta mors, lætior post mortem beati-  
 tudo subsequitur. Tria in Domini morte  
 possumus adnotare, quæ eam admirabi-  
 lem rediderunt, & unò momentò omnem  
 passionis ignominiam discussissent. Pri-  
 mum est, quòd clamans expiraverit, & vo-  
 ce magna clamans: nam qui moriuntur,  
 adeo languidè animam efflant, ut minimè  
 facile sit agnoscere, expirârint nec ne;  
 quantum ergo fuit, non modò vocem, quæ  
 exaudiretur, extremo halitu efformare po-  
 tuisse, sed clamorem eumque validum: id  
 verò planè ostendebat, eum non necessi-  
 tate mori, sed sponte animam ponere,  
 quam, si vellet, retinere posset, quippe ad-  
 huc

huc integris viribus, & nullo lethali vulnere accepto. Alterum, quòd illi ipsi, qui eum antea insectabantur, statim agnoverunt, & fassi sunt, eum esse Filium Dei: quod certè mirum est; nam antea dixerant, tum se visuros, & pro certo habituros, eum esse Dei filium, si de cruce descenderet, & à morte se vindicaret; nunc autem, postquam eum vident in cruce mortuum, fatentur Dei filium. Tertium, quòd non homines modò, sed cætera omnia, quæ sensu carent, cælum, terra, superi, inferi, res sacræ ac profanæ, sensum aliquem doloris ob ejus mortem ostenderint, & , cui paulò antè ne amici quidem in summis cruciatibus posito compatiebantur, ei morte jam libero, & omnis molestiæ ac doloris immuni, compati visa sunt. Hæc igitur tria ad utilitatem nostram traducamus: duplex est mors Justorum; altera, quâ mundo moriuntur adhuc in carne viventes; altera, quâ tandem corpore soluti migrant ad Dominum. Utraque mors comparatione mortis Domini illustratur. Primùm enim, qui mundo moriuntur, illi non secus ac Dominus om-



nem ea morte sensum doloris evadunt, nec  
 jam crucem sentiunt, nec oppro-  
 bria, nec injurias: nam, postquam ad e-  
 am perfectionem ventum fuerit, quæ om-  
 nes, quas retulimus, beatitudines comple-  
 ctitur, desinit anima mundo vivere, non  
 quòd aut corpus regere desinat, aut opera  
 sensuum exercere: sed quia, cum superior  
 animæ pars non semel, sed octies beata sit,  
 & bono incommutabili inhæreat, totam  
 ad se inferiorum potentiarum intentio-  
 nem ac propensionem trahit. Etsi enim  
 hæ corporeæ & inferiores potentia, quibus  
 opera vegetantis ac sentientis animæ exer-  
 centur, nihil aliud capere aut appetere  
 possint, quàm id bonum, quod ipsis con-  
 venit, quod in sensum cadit: quia tamen  
 in eadem anima sunt, in qua est superior  
 illa pars & intellectiva, ideo naturaliter  
 etiam ad illius bonum inclinatur, quod et-  
 si non sentiunt, quid sit, percipiunt tamen  
 ad se vel maximè pertinere, quippe cum  
 ad eam animæ partem spectet, quæ supre-  
 ma est, & cui omnia obtemperant. Hoc  
 igitur est, quod beatam illam mortem ju-  
 storum facit, quæ jure pretiosa in conspe-  
 ctu

et Domini vocatur. Quid enim pretiosius ea hominis constitutione, quâ sic inferiora superioribus subjiciuntur, ut discant à sensibilibus se avocare, & intelligibilium communione gaudere? quâ inferior homo condelectatur legi Dei, quæ à superiori percipitur, & gratiæ virtute atque assidua exercitatione discunt, sensus non ire præcipites in sua objecta, sed subesse rationi, & omnes suas voluptates ad unam & supremam illius voluptatem ac bonum attemperare? Postquam igitur aliquis ita mortuus fuerit, nihil eò est beatius in hac vita: nam, licet in cruce adhuc persistat, non tamen, ut prius, vel clavorum fixationem sentit, vel spinarum aculeos, vel probra & ludibria; sed corpore inter hæc positus, animò jam in paradiso est cum Domino. Primum igitur, qui sic moritur, clamans moritur; neque enim infirmitatis hæc mors est, sed virtutis; qui sic moritur, vult ipse sic mori; non ergo ignavi, desides, imbecilles sunt, qui ita vulgo videntur, cum se ab omnibus conculcari, ac despici sinunt, in eo summa est vis, summa fortitudo; non est, ut putatur, ille stu-

por ac stoliditas, sed vigor ac robur animi,  
 qui ita ad rerum superiorum ac divinarum  
 contemplationem se totum transtulit, ut  
 externa hæc atque inferiora consultò ne-  
 gligat, ac sæpe etiam ne animadvertat, aut  
 sentiat quidem. Postremò ideo clamans  
 mori dicitur, quia ejusmodi mors clamor  
 est, quò omnes excitamur ad specimen  
 tantæ virtutis imitandum: quemadmo-  
 dum enim Joannes Baptista, qui mundo  
 priùs mortuus erat, quàm natus, se Vo-  
 cem nominat: Ego vox: tota enim ipsius  
 vita vox erat & clamor, humanam so-  
 cordiam increpans, & ad divina cogitan-  
 da excitans: ita omnes Sancti, postquam  
 eò perfectionis pervenerint, ut jam omni-  
 no mundo sint mortui, clamant exemplò,  
 etsi verbis taceant, sic esse vivendum. Cla-  
 mat quoque ad Deum mors Justorum,  
 dum ij, qui mundo rebúsque omnibus mo-  
 riuntur, ac se totos Deo tradunt, Deum  
 excitant ad maxima quæque ijs beneficia  
 largienda. Nec minùs in ea morte Justo-  
 rum illud alterum accidit, quod in Domi-  
 ni morte evénit, ut, qui eos antea perse-  
 quebantur, ij postea percutientes pectora  
 sua

sua revertantur, & fiant ex insectatoribus affectatores, & admiratores. Nemo enim cum mortuis pugnat; tamdiu nobiscum adversarij pugnant, quandiu vivere nos arbitrantur; ubi planè mortuos vidèt, desinunt molesti esse. Ipsum mare, quamdiu naufragus vivit, cum deprimere, & fluctibus conatur operire; postquam obierit, insummum evehit, atque ad littus clementer exponit. Omnia nobis pacata erunt, postquam certò constiterit, nos ita mundi hujus rebus nuncium remisisse, ut mortui jam simus, non tantùm sopiti, & mox majore aliquo fragore excitandi, aut sponte evigilaturi. Tertium verò illud in quibusdam clarioribus & illustrioribus Sanctis usavenit, ut omnia illis obediant & obsequantur: nam scimus, Gregorios, Bernardos, Franciscos, Antonios, postquam in cruce mortui sunt, eò devenisse, ut ad eorum nutum ipsa se componerent mundi hujus elementa, transferrent montes, sisterent ruentes rupes, perambularent maria, tractarent illæsis manibus ignes, cohiberent pluvias, corpora denique ad vitam extincta revocarent. Sed, quia hoc rariùs

riùs

riùs accidit, non omittamus id, quod spi-  
 rituali sensu perpetuò in ijs fit, qui tam  
 beata morte moriuntur; nam ijs sol glo-  
 riæ istius humanæ meridiæ deficit, ut, quò  
 priùs oculi perstringebantur, eum nunc  
 obscurum videant, ac lumine destitutum;  
 terra concutitur & vacillat; quam enim  
 cæteri homines pro sede firmissimâ ha-  
 bent, in qua spes suas omnes, cogitatio-  
 nésque firment ac statuunt, eam Sancti  
 labare, nutare vident, nec vel unum in eâ  
 vestigium stabile figi; velum templi scin-  
 ditur à summo usque deorsum, quia re-  
 rum divinarum ijs arcana omnia, summa  
 ac ima patefiunt; monumenta aperiuntur,  
 quia veterum in ijs Sanctorum exempla  
 renovantur, & dum pridem extincti aut  
 sopiti mores rursus inter homines versa-  
 ri incipiunt, jure Sanctorum corpora, quæ  
 dormierant, resurrexisse dicuntur, & inci-  
 vitatem venire, & pluribus apparere:  
 scinduntur petrae, dum obdurata corda  
 franguntur; tota denique rerum natura  
 concutitur, quia Sanctorum vita naturæ  
 propensiones coërcet, ac reprimit. Quæ  
 verò in hac prima spirituali morte Justo-  
 rum

rum accidunt, ea etiam in secunda corporali eveniunt: sic enim Sancti moriuntur, sicut vixerunt; nisi quòd præcipua illo extremo tempore tum ipsorum in Deum est pietas & caritas, tum Dei in ipsos benignitas & indulgètia. Ita dum sibi mutuò occurrunt, anima Dei cupida, Deus animæ amans, fit illud beatum osculum, quod sponsa cupiebat, quod Moyfes obtinuit, qui mortuus est in osculo Domini. Quis explicet, quàm suave, quàm beatum sit, in Domino, id est, cum Domino in cruce mori? quæ nomina humana, quæ rerum similitudines illud exponant, quod extremo illo tempore præparavit Deus diligentibus se? Nuptias vocem? an Convivium? an Regnum? an Triumphum? frigida hæc & abjecta sunt nomina, beatius quiddam illud est, & omni humanâ voce, re, opinione divinius. Vel impius vel cæcus vidit hoc Balaam, nihil in rebus omnibus esse præstantius morte Justorum. *Moriatur, Num.*  
*inquit, anima mea morte Justorum. Deni-* 23. v. 10.  
 que apud Deum, apud quem cuncta sunt vilia, vile aurum, quod in plateis supernæ civitatis calcatur; viles gemmæ, quas in-  
 ter

ter arenas abjecit vilia elementa, quæ sunt scabellum pedum ejus; viles cæli, qui sicut vestimentum veterascent; Mors Justorum sola pretiosa est. Quo non pretio bene emitur id, quod Deo ipsi constat esse pretiosum? Planè pretiosum, quod non contemptibilib<sup>9</sup> auro & argento emit; sed pretioso Sanguine Filij sui, qui in hoc natus est, in hoc venit, in hoc mortuus est, ut nos in eo renati, ejus exemplò & gratiâ viveremus, ejus sacra & beata morte moreremur.

## CAPUT XI.

*Conservanda esse verba hæc in Domini monumento, in quo & animam nostram Domino conssepeliri oportet.*

*Matth. 27.v.57* **C**ùm autem serò factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathæa nomine Joseph, qui & ipse discipulus erat Jesu, hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus Jesu, tunc Pilatus jussit reddi corpus, & accepto corpore Joseph involvit illud in sindone

*findone munda, & posuit illud in petra,*  
*& advoluit saxum magnum ad ostium*  
*monumenti, & abiit: Erat autem ibi Ma-*  
*ria Magdalene, & altera Maria sedentes*  
*contra sepulchrum. Contemplati sumus*  
 hoc vitæ exemplar, quod nobis Domini  
 Passio exhibet: quid superest, nisi ut  
 quàm diligentissimè ea, quæ nobis confi-  
 derata & constituta sunt, conservemus?  
 Insidiantur enim Judæi, ut Christum no-  
 bis rapiant: quo pacto igitur id nobis  
 præstandum sit, Evangelicæ narrationis  
 allegoria non difficilè docebit. Nam vir  
 hic dives, & ut alius Evangelista dicit, no-  
 bilis decurio nomine Joseph, quid aliud  
 significat, quàm strenuum ac diligentem  
 vitæ suæ instituendæ studiosum? qui à for-  
 titudine vir, à generositate miles, à decem  
 mandatorum observatione decurio, à mul-  
 tarum virtutum opibus dives, ab aug-  
 mento quotidiano Joseph, quod augmen-  
 tum indicat, nuncupatur. Hic vir audacter  
 ad Pilatum introivit, ac petijt sibi dari  
 corpus Jesu: nam simul atque cognove-  
 rimus, ita nobis vitam esse instituendam,  
 si quid est agendum, si cujus obtinenda ve-  
 nia,

nia,



nia vel facultas, audacter ad eundem est.  
 Nullibi tutior est audacia, quam ubi nihil  
 aliud, quam Christus petitur. Deinde  
 mercatus est mundam sindonem: hac in-  
 terpretari possumus memoriam ab omni  
 mundana specie ac sorde puram, quam,  
 quia non habemus, mercari oportet multo  
 labore, multis precibus, eluere lacrimis,  
 excutere flagellis, denique omnia agere,  
 ut sindonem habeamus Christo involuen-  
 do dignam. Eiusmodi sindoni si involve-  
 rimus Dominum, id nobis accidet, quod  
 tum evenit, ut imprimatur effigies ipsius  
 & exemplar illud sacrum, quod contem-  
 plati sumus, memoriae nostrae velut sindoni  
 mundissimae, & nunquam ab ea posthac  
 possit aboleri. Verum id non facile fiet,  
 nisi Nicodemus accesserit, ferens mixturam  
 Myrrhae & Aloës quasi libras centum,  
 nisi pietatis affectionis ac devotionis & præ-  
 teritæ vitæ memoris doloris unguentis &  
 aromatibus corpus Jesu delibutum fuerit;  
 tum enim facilius sindoni ejus imago im-  
 primetur. Nisi res ametur, nisi ad eam in-  
 timè afficiamur, non facile hæret memo-  
 riæ: sit ergo in nobis erga Domini passio-  
 nem

nem hæc cordis affectio, quasi libræ centum, hoc est, non modica, sed iusta atque perfecta, quæ partim sit myrrha compassionis, partim aloë contritionis, ut sic memoriæ nostræ adhærescat, & in ea perenne vestigiū relinquat. Ubi hoc fecerimus, quærendum est monumentum novum, excisum in petrâ; nova aliqua, constans, firma, solida vitæ consuetudo ineunda, quæ valeat ad hoc Dominicæ Passionis exemplar perpetuò servandum: sua cuique sunt nota, quid sit, quò magis jvari possit ad vitæ rectè institutæ conservationem, nemo seipso meliùs scit; id ubi compererit, ne parcat labori, ne sinat se rei difficultate superari. Neque enim in monumento effosso in arena aut humo Dominus collocatus est, neque exciso in facili aliquo & miti saxo, sed petrâ, quod significat durissimum saxum. Vi, labore, repetitis ictibus opus erit. Et ne hoc quidem satis est. Advolvat saxum magnum ad ostium monumenti. Quid hoc sibi vult? faciat, statuâtque aliquid, quò totam hanc rem confirmet. Maria Magdalene, cùm statuisset vitam ex Christi Domini præce-


ptis agere, eum sequi, ei se totam addicere, ad totam hanc rem concludendam, tempus elegit, quô Dominus apud Phariseum discumberet, illuc venit, ad pedes Domini se provolvit, flevit, vnxit, tersit, professa est veteris vitæ pœnitentiam, & novæ propositum: ea publica professione saxum magnum advolvit ad ostium monumenti. Saulus, postquam dejectus Domini voce didicit, quid ei agendum esset, ingressus Synagogas invalescebat, & confundebat Judæos, testificans Jesum esse Christum. Hoc ergo est saxum magnum advolvere ad ostium monumenti, cùm quis aliquid agit, quô difficilior ei reddatur suscepti propositi vel commutatio, vel oblivio. Sed & Maria Magdalena, & altera Maria non desint, quæ sedentes contra sepulchrum custodiant, visitentque sacrum Domini corpus. Petrus quoque, & Joannes identidem eò veniant. Quid hoc aliud sibi vult, quàm non omnino soli nostræ industriæ esse fidendum? Postquam omnia disposuerimus, quibus in suscepto vitæ instituto nos contineri posse credamus, externa quoque adhibeamus auxilia. Ea verò sunt primùm Patrocinia Sanctorû, Sanctissimæ Dei Matris


tris imprimis, cui totam hanc vitæ nostræ  
 institutionem commendare debemus, ut  
 eam tueri, & conservare dignetur: deinde  
 Angelus noster Custos, ut & ipse ad-  
 sit huic sepulchro, quemadmodum Domi-  
 ni tumulo Angeli adstiterunt: postea ce-  
 terorum Sanctorum, ut quisque peculiare  
 habet patronos. Secundum hæc autem sunt  
 Patrum & Fratrum spiritualium quæren-  
 da præsidia, ut & Patres, quorum consilio  
 vita nostra dirigatur, habeamus, & fratres,  
 quibuscum jucundè ac suaviter jugum  
 Domini trahamus, nobis similitudine mo-  
 rum ac studiorum, & vitæ consilijs & cari-  
 tate conjunctos, quorum & proficiamus  
 exemplò, & subinde opportunis admoni-  
 tionibus corrigamur. Proderit & illud no-  
 bis, si qui adversarij Judæos imitati custo-  
 des adhibeant, & obsignent lapidem. Hoc  
 est, si qui sint, qui observent gressus nostros,  
 & an ita vivamus, sicut nos vivere velle su-  
 mus professi, intentis oculis & vigili ob-  
 tutu speculentur. Verùm nihil ita prode-  
 rit, nihil ita in universum huic Vitæ Insti-  
 tutioni necessarium est, quàm si animas  
 nostras Christo consepeliamus, quod ba-  
 ptismò significari, ait Paulus Apostolus.

Quod igitur in baptismo factum oportuit, ut cōsepulti Christo non aliter viveremus, quàm si eodem tumulo clausi essemus, id saltem post vitæ tam longa exacta spatia, post beneficia tot accepta faciamus. Iacet in tumulo Corpus Domini exanime, nostras animas eò inferamus, quæ Sacrum illud Corpus perpetuò venerentur, & cum anima corpus servare soleat, ipsæ contra ab eo servantur, & ab omni periculo liberentur. Hoc ergo supremum hujus Institutionis erit monitum, eum fore verum Dominicæ Passionis Sectatorem, qui perinde se gerat, ac si ejus anima in tumulo Domini cum eo, sacra illa syndone involuta, conquiesceret, ita ut clausa undique nihil sciret, nihil videret, nihil cogitaret, nisi Christum, & hunc crucifixum, ejus exemplar induta, ejus imbuta imagine, ei commortua, consepulta. Quod ille nobis præstet, qui tale proposuit, ad quod vitam institueremus, exemplar, Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum,

A M E N.

nit,  
us,  
id  
ia,  
cet  
no-  
il.  
im  
tra  
pe-  
fti-  
im  
pe-  
ilo  
vo-  
que  
et,  
jus  
, ci  
bis  
im  
us








Se...

Pa...  
A...




Se...


...

Pa...

...









Th  
3176

Scambai

de  
passione  
domini